n. 16

Jass

fr 15

# VITA B. JOANNIS FRANCISCI REGIS, è *Societate JESU.*

*Autore*

P. ANTONIO BONETO,

*ex eadem Societate.*

Reimpressa.

Cum Facultate Superiorũ.



*Typis Collegij Sandomiriensis Societatis JESU.*

Anno Domini MDCCXVI.

# *SANCTSSIMO PATRI*

# INNOCENTIO XII. PONTIFICI MAXIMO.

BEATISSIME PATER,

*QUANTA ſit dignitas Romanæ Sedis, ad quam Te Numinis ſapientia nuper evexit, vel ex eo conijcere licet, quòd ejus favorem atque præſidium ipſi etiam Cœlites ambiāt. Népe Sanctorum Animæ, quanquam jam Cœlo receptæ, eo ta-*

*men in numero haberi nólunt, niſi Romano Pontifice adſcribente, nec ſacrum ullum cultum admittunt niſi ejus conſenſu, vel imperio deferatur.*

*Unus è Beato illo cœtu, Beatus* JOANNES FRANCISCUS REGIS, *olim Societatis JESU Religioſus, quem eximia morum ſanctimonia pluribus miraculis cõprobata, non obſcurè ſignificat Cœleſti jam Civitate donatum, tuam iſtam Sedem appellat, ſuámque illam ſanctitatem, miracula, cultum, tuo judicio atque arbitrio ſubijcit.*

*Hanc autem tanti Clientis fiduciam gratam tibi, acceptámque fore, ſvadet priſtinum ejus vitæ inſtitutum, morum ſancti-*

*tas*

*tas, & aptiſſima tecum virtutis, affectuúmque ſimilitudo.*

*Placebit ſcilicet veſtis Societatis, quam homines duo, Tibi ſanguinis communione conjunctiſſimi, Patruelis alter, alter germanus Frater, ſuis virtutibus, rebúſque in ea præclarè, piéque geſtis, plurimùm illuſtrarunt: nec dolebis vixiſſe illos in Ordine Sanctorum fœcundo, qui ad omnem virtutem & pietatem, alumnos informat ſuos.*

*Amabis in eo exquiſitam ſanctimoniam, quæ tuis quoque expreſſa moribus, quaſi lumen aliquod, per Chriſtianum Orbem, elucet. Singularis equidem ſapientia, ſacrarum ac civilium rerum uſus, animi ma-*

*gnitudo simul & moderatio; virtutésque aliæ in Florentinâ, Polonicâ, & Viennensi, Legationibus Pontificiis, abundè perspectæ, Patres Purpuratos permoverunt, ut Te unum ex omnibus deligerent, qui Ecclesiæ Catholicæ præsideres. Verùm certissimè constat id potissimùm spectasse illos, ut hominē insigni pietate, & morum integritate præditum, ad amplissimum munus extollerent; hominem, inquam, qui vitæ sanctitate, Sanctissimi nomen impleret.*

*Et sanè spectata probatáque Tua illa Sanctitas fuit, tum in secessu vitæ privatæ, tum in publicis Romanæ aulæ mune-*

*ribus*

*ribus, Urbiúmque & Provinciarum præfecturis; tum in Lechiensi, Faventinâ, ac Neapolitanâ, regendis Ecclesijs, quarum optimâ administratione, universalis Ecclesiæ regimini proludebas.*

*Animum denique huic DEI famulo conciliabit tuum, communis tecum, erga pauperes ac calamitosos, affectus. Nam, præter cæteras virtutes, hanc ejus vitam potissimùm commẽdat perpetua erga pauperes misericordia, & in eorum ærumnis sublevandis singularis industria; quâ factum est, ut ubique locorum, Pater pauperum diceretur.*

*Quam appellationem Tu quo-*

*que,* BEATISSIME PATER, *non minori laude adeptus es, eximiâ in egenos liberalitate; quibus alendis annuos omnes reditus, servatâ ad sumptus domesticos exiguâ portione, benignissimè erogabas. Quamobrem de Te verissimè dixeris, quod de se olim Job vir optimus prædicabat,* ab infantia mea crevit mecum miseratio; *& ità crevit, ut in perfectissimam Charitatem adulta, tecum in ipsam Petri conscenderit Sedem.*

Job. 31.

*Ex ea enim, & paternam benignitatem, in egenos totâ Italiâ dispersos, effundis: & Pontificiæ Majestatis apicem demittis interdum, ut beneficiis, aut blandis sermonibus, plebis ærumnas*

*nas, & pauperum inopiam sublevas. Neque sanè decebat, eo loco abdicari à Te virtutem pulcherrimam, quam ego quidem crediderim, in eo Te dignitatis fastigio collocasse.* Nam qui suscitat de pulvere egenum, & pauperem elevat; *idem ille Nutritium, & Patrem* pauperum, erigit ut solium gloriæ teneat. *Et verò solium gloriæ nemo diffiteatur esse illud, quod ipsi etiam Cœlites reverentur.* 1. Reg. c. 2.

*Huic se Venerabilis iste DEI famulus sistit, judicium subiturus tuum, nec cœlestes honores ullos excepturus, quàm quos,* Beatissime Pater, *Tu ipse decreveris,* cujus, *ùt ait, Hilarius* terrestre judicium præjudicata autoritas sit in cœlo. Hilar. Can. 17. in Math.

*Huic quoque supplex* Societas Jesu, *alumni olim sui causam agit atque humilibus precibus obsecrat, fas ut sit, solennes illi divorum honores, & Sacrum Cultum exhibere. Effluxêre jam, ab ejus obitu, anni quinquaginta, quo nisi elapso tempore, vetuit Urbanus octavus quemquam omninò proponi in Sanctorum numerum referendum. De hujus viri virtutibus, ac Miraculis, ab Ecclesiasticis cognitoribus habita quæstio, instrumentáque de iis ritè confecta ad tabularium sacræ* Rituũ *Congregationis transmissa sunt. Id unum superest,* Beatissime Pater, *ut actis illis, tuo jussu, maturè recognitis,*

*jus*

*jus tandem ſupplicibus dicas. At quamcumque in partem ſententiam tuleris, ſocij tum cœlites, tum mortales Tuo in judicio protinus conquieſcent. Hoc omnium nomine, profitetur.*

Sanctitatis Tuæ.

Devotiſſimus & Humillimus Filius.

Antonius Bonetus.

PRÆ-

# PRÆFATIO.

RES à B. JOANNE-FRANCISCO REGIS præclarè piéque gestas scripsére jam alii, nec porrò desunt, qui easdem, stylo quàm nos elegantiorî; at pauci qui certioribus indiciis, & majori fide perscribant. Degimus per annos aliquot in iis locis, in quibus adolescentiam ille traduxit: pluresque ex affinibus, & cognatis qui cum eo egerant, nobis optimè noti. Viximus cum hominibus. qui olim in Societate, eo familiariter usi sunt. Contigit itèm commorari in iis Regionibus, & domiciliis, ubi impressit insignia virtutum Religiosarum vesti-

veſtigia. Nuperrimè demùm verſabamur in Urbe funeris loco vicinâ, unde identidem ad Sacrum Beati viri tumulũ licebat excurrere, ejuſque celebritatem, ac religionem noſtris oculis intueri. Miracula verò accepimus, vel à publicis & ſinceriſſimis monumentis; vel à teſtibus oculatis; vel ab eo qui, * cùm de illis ritè inquireretur, à Præpoſitis delegatus, ut Eccleſiaſticis Quæſitoribus adeſſet; omnibus, quæ in Acta referebantur, teſtis ac ſpectator, interfuit. Ille enim, dum Provinciam regeret, maximè dum loca peragraret, Beati REGIS laboribus ac miraculis inclyta

* *P. Ant Pagés.*

mihi

mihi itinerum comiti, ea miracula, magno delectu, ac ſũmâ fide narrabat. Ex quibus ſanè intelligatur quàm exploratiſſima ſit veritas earum rerum quæ in hoc opere memorantur.

# VITA
# B. JOANNIS FRANCISCI REGIS.

S.

## LIBER PRIMUS.

FONS COOPERTUS. oppidum eſt Occitaniæ inferioris, nullâ re aliâ, ad noſtra hæc tempora commendatum, quàm Concilio Narbonenſi tertio, ante annos ſeptingentos inibi celebrato. Eo in oppido, Regiorum familia, pietate & ſanguine nobilis ſuperiori ſæculo ſedem ac

*I. Nobilitas & pietas familiæ Regis. 904.*

domicilium collocarat. Et generis quidē ſplendorem teſtantur domeſtica monumenta, ex quibus conſtat Deſplaſiam gentem apud Ruthenos clariſſimam, geminos olim diviſam in ramos; fratrémque natu majorem paternæ ditionis hæredem, ſtirpem in illis regionibus propagaſſe; minorem verò ſuâ hæreditatis portione donatum, tranſlatis in Occitaniam laribus, inclytæ hujus Regiorum familiæ autorem, ac principem extitiſſe. Pietas verò gentis vel ex eo probatur, quòd graſſante per Galliam Narbonenſem hæreſi Calvinianâ, non modò antiquam Religionem ſtudiosè coluerit, ſed pro ea quoque, fuſo etiam ſanguine, propugnarit. Rem Vir ipſe ſanctus, cujus vitæ ſeriem virtuteſque proſequimur, in concione narrabat, ut debitæ parentibus obſervantiæ pueros admoneret.

II. *Memorabilis caſus unius ex eâ familiâ.* Villamurium in Cadurcorum & Albigenſium finibus ſitum ad Tarnim oppidum, valido Calviniorum præſidio firmatum, fœderati Catholici obſidebant, belli Duce Scipione Joyosâ, magno Toloſæ Melitenſi priore. Confluebant in caſtra Catholici è vicinia nobiles, interque alios JOANNIS REGIS liberi omnes in partem ſe glorioſi periculi offerebant. Et cæte-

ros quidem senior Pater præclaro facinori nomen dare haud ægrè admodum ferebat, sed majorem natu remanere volebat domi, si quid incerto pugnæ exitu fratribus contigisset, futurum senectutis solatium, columénque familiæ. At obsequendi voluntatem vicit in juvene pugnandi cupiditas, & studium Religionis. Feroculæ Pater indoli subiratus, ex subita, ut fit, doloris acerbitate, adolescenti malè precatur: abiret utique adverso numine, nec paternam ultrâ domum patremque reviseret. Vix ille in castra pervenerat, cùm Duces Calviniani in obsidionales aggeres impetum faciunt, fusásque Joyosæ copias vallo exturbant. Regius in eâ, quam fortiter tuebatur, statione cæsus est, mortuíque cadaver, confecto certamine, unà cum aliis, injectâ, de more, glebâ contectum.

Pacatis deinde rebus, cùm eodem in loco puella pecuaria gregem pasceret, ecce atrata sanguine, militis umbra repentè comparuit. Docet eo, quem pede calcabat, cæspite, unum è Regiorum apud Fontem coopertum familiâ, conditum jacere, qui in nupero, dum Villamurij obsidio solveretur, prælio cecidisset. Rogat moneri curet gentem illam, sua ut ossa ex III.

humo profanâ effodiant, & ad majorũ ſepulchra, ſacrum in locum aſportent.

Adfuère propinqui, Villamurenſium civium, ad quos rem puella detulerat, monitis excitati; repertumque, ejus indicio, cadaver in patriam advexêre. Occurrit ad introitum oppidi, cum Sacerdotibus, cognatio univerſa, funuſque ad templum religiosè proſequitur. Ubi paternam domum cœpta eſt funebris pompa prætervehi, ingraveſcere feretri pondus, rigere veſpillonibus brachia, nec pedem loco movere. Obſtupuit hìc enim verò, conferta plebs, & miraculum exclamavit. At mortui Pater, rem ſubodoratus, heu! Memini, inquit, cùm injuſſu meo, ad bellũ proficiſcenti minùs fauſtam expeditionem, & certam à DEO vindice pœnam optavi. Voluerit ille forſan ſua in Patriam oſſa referri, ut hanc qualemcumque violatæ obedientiæ culpam expiaret, quam ego ſanè piis chariſſimi filij manibus volens libenſque condono. Tum ſublatis in cœlum oculis manibúſque, funeri benè precatur, quod exinde, nullo negotio, elatum eſt, & cadaveri tranquillè ac placidè, ritu Catholico, parentatum. Intelligo, plerique mortalibus res politico ſuperci-

percilio æſtimantibus apparentes iſtas mortuorum effigies non omninò arridere: verùm huic utrique miraculo fidem vindicant, tùm miracula alia ejuſdem generis inferiùs memoranda, tùm viri ſancti probitas, qui ſingularem Patrui caſum, rem domi, ſuo penè ſub aſpectu geſtam, & ab Avo ac Patre teſtibus oculatis auditam, non ſemel, ùt dixi, pro concione narravit.

Ex eâ gente ducebat originem B. Joannes Franciscus Regis, natus die ultimâ Januarij anno ſuperioris ſæculi nonageſimo ſeptimo, Patre Joanne Regis, Matre Magdalenâ Arſæâ Dynaſtæ Segurii filiâ. Vix ſacrâ Baptiſmi undâ ablutus eſt infans, cùm ſuſpicatus fortè malus dæmon, quantus ſibi adverſarius pararetur, penè vagientem in cunis oppreſſit. Quâvis enim ſagarum, magorumque præſtigiæ, apud viros politicos, fabularum in numero habeantur; conſtat certè tum iſtam, tum familias alias benè multas maleficam earum vim non ſemel expertas. Jacebat in cunis Franciscus, juxtàque nutrix alumni ſecura dormiebat. Excitata ſomno ſub mediam noctem fœmina, productiſque brachiis, ut puero mam-

*IV. Ortus B. Joannis Francisci Regis.*

*Divina erga infantem providentia.*

mam de more præberet, & facem extinctam, & vacuas cunas offendit. Lecto amens protinùs exilit, vociferatur, puerum amissum exclamat. Trepidatur totâ domo, discurritur, accenduntur faces, cunctísque latebris, angulísque diligenter exploratis, puer tandem subter nutricis lectum, fasciis quidem evolutus, at sanus vegetusque conspicitur. Intellexêre pii Parentes vel ex eo uno casu, quantùm Superis cordi esset pueri incolumitas, & educatio. Quamobrem nulla ipsis antiquior cura fuit, quàm ut eum optimis moribus, doctrinæque Christianæ præceptis imbuerent. Et constitit illis sui laboris, atque operæ fructus. Innata si quidem virtutum semina, domesticâ institutione, diligenter exculta, adolescere cum ætate videbantur in dies.

Atque hanc virtutis indolem Parentes ut foverent, eductum domo puerum Biterrensibus Societatis Patribus in disciplinam tradiderunt. Sex omnino horarum itinere Fonte cooperto distant Biterræ, Septumanorum urbs, inter cæteras Galliæ urbes, ob cœli temperationem, ac soli amœnitatem, etiam populari adagio celebrata. Regionis mite ingenium

ſanè dixeris hauſiſſe cives egregiâ morum ſuavitate præditos, atque omni urbanitate limatos. Quam ſuorum comitatem, atque ſolertiam, ut bonis etiam artibus ampliùs expolirent, pulcherrimũ ante hæc tempora Gymnaſium excitarant. Cúmque per hæc loca minùs frequentes, eâ tempeſtate, forent Scholæ Societatis, ad iſtas juventus omnis ex Occitania inferiori, & Aquenſi Provinciâ commeabat. Auxit verò ſubinde Gymnaſii famam, quòd uno fere tempore, ex eo prodierint viri inſignes, qui Eccleſiæ, ac Societati, aliiſque Religioſis Ordinibus, tùm præclarâ eruditione, tùm concionandi laude, dignitatis plurimùm attulere. At nemo ex omnibus extitit B. JOANNI-FRANCISCO, de quo nunc ſcribimus, ſanctitate ſuperior.

*V. Virtutes Adoleſcentis in ſæculo. Innocẽtia morum.*

Ex quo primùm in Scholas noſtras intulit pedem, elucere cæpit in adoleſcente integritas illa, & innocentia ſingularis, quam, ad extremum ſpiritum, puram, illibatamque retinuit. Ac nè facilis & periculoſa exempli imitatio, integrrimæ vitæ aliquid labis afflaret, inquirebat ſedulò in ſodalium mores; & ſi quos ad vitia proclives animadverteret, ab eorum

ſe congreſſu, & conſvetudine protinùs abſtrahebat. Quos autem probos noſſet ac benè moratos, ad eos utique adjungebat ſeſe, iis familiariter utebatur.

*Pietas.* Cùm autem ſoleant optimi quique in ſodalitates Deiparæ Virginis aggregari, in eum cætum adſcribi voluit, tùm ut piorum conſortio, tùm ut Sanctiſſimæ Dei Matris tutelâ ac præſidio frueretur. Eo in loco fundamenta poſuit ejus virtutis ac ſanctimoniæ, in quâ, tantis ſubinde incrementis, mirabiles proceſſus effecit.

Hìc & obeundis Pœnitentiæ atque Eucharistiæ Sacramentis, feſtorum dierum otium collocabat; & in ſubſequentes hebdomadæ dies, certa pietatis opera deſtinabat; & in reliquum vitæ tempus parabat documenta virtutum.

*Modeſtia.* Modeſtia inprimis, & quæ tantopere juventutis mores exornat, verecundia curæ fuit. Compoſitus erat ad pudorem & honeſtatem oris, ac totius corporis habitus, ſive attentus in ſcholâ ſederet auditor; ſive per urbem incederet; ſeu obvios interdum alloqueretur. At ſingularis illa cuſtodia ſenſuum, & oculorum moderatio ſodales tùm maximè permovebat, quoties unà cum illis ad ſcholas accederet,

ret. Collegii atrium in Pomærio ſitum, mœnibus urbis imminet è loco ſuperiori; unde patet proſpectus in pulcherrimam planitiem, quæ longiſſimo tractu, inter montes Tomerianos & Narbonenſe mare porrigitur. Subjectæ regionis amœnitas, nemora, oliveta, colles vitibus conſiti, creberrimæ villæ, & oppida, cũ in locum peregrinos pariter, & indigenas ad ſpectandum alliciunt. Ibi adoleſcentes, dum ſcholarum tempus opperiuntur, ambulare ſoliti, confabulari, & loci amœnitate gaudere. Unus REGIS eâ ſpectandi voluptate ſe abſtinens, demiſſis modeſtè oculis, in ſcholam ſeſe recipiebat, ſtudio totus ac libris intentus.

*Amor Literarum.* VI.

Nec minori ſolertiâ domi, quàm in Gymnaſio, in ſtudium incumbebat, tum ut optatos à Parentibus, progreſſus haberet in literis, tum ut familiarem juventuti deſidiam, otiique corruptelam effugeret. Sed ne aſſiduâ tractatione librorum ad humaniores diſciplinas pertinentium, paulatim pietatis ſenſus hebeſceret, eorum lectionem, crebrâ piorum librorum lectione temperabat. Hujusmodi verò libellos non ſolùm perlegebat ipſe, ſed ſi quando domum ſocii ventitarent,

*Lectio piorum librorũ.*

post

poſt rerum colloquia leviorum, eos item ad legendum, vel audiendum ſuaviter invitabat. Cùm autem æger decumberet, iidemque ſodales in jacentis cubiculum admiſſi, vicem ejus dolere ſe dicerent, optarentque, fas ut eſſet ſibi, vim ægritudinis mitigare: & levabis plurimùm, ajebat ille, ſi volueris, audiente me, aliquot hujus libelli verſiculos lectitare. Præterea cùm plures unà convictores in eodem contubernio degerent, in morem induxit, ut ſinguli per vices, ſuper menſam legerent; quò ſermones eo tempore hilariores arcerentur. ſuumque animo ſimul, & corpori pabulum præberetur, Certam addidit precandi & vivendi formulam, quam illi adeò caſtè ſanctéque ſervabant, ut hoc eorum hoſpitium, Religioſæ familiæ, quàm ſcholaſticorum convictui ſimilius videretur.

VII. *Autoritas erga ſocios.* Manabat à contubernalibus ad externos hæc adoleſcentis authoritas, eximiáque de ejus virtute exiſtimatio. Ubi primùm eorum in congreſſum, conſpectumque ſe dabat extemplò colligere ſeſe omnes; ac ſi forte in re minùs honeſta confabutio verſaretur, lingvam, admoto labris digito, cohibere, aut aliò transferre ſermonem.

monem profequebatur, eum animofus juvenis Chriftianæ modeftiæ comiter admonebat; & ille monitoris fapientiâ atque humanitate permotus, protinus conticebat. Ea nimirum vis eft probitatis, ut illam, etiam qui non diligunt, vereantur. Quamquam autem hujusmodi cõdifcipulorum circulis intereffe illum aliquando contingeret, non tamen fe promifcuè eorum in cætum, & confvetudinem inferebat. Neque enim ad celebranda cum illis conviviola, ad ludos, ad fpectacula pertrahi fe patiebatur, unâ ambulatione oblectari folitus, fiquando à ftudii contentione animum, curamque laxabat. Quo rerum in genere cafus de illo certe mirabilis memoratur.

Excurrerat aliquando ad mare vicinũ cum amicorum pari, pifcandi voluptate fruiturus; atque in pulcherrimo fpectaculo matutinum tempus omne confumpferat. Cum autem in reditu, fe calor intenderet, ad obvium in proxima areâ culmorum umbraculum divertit, congeftifque fpicarum manipulis incumbens, donec tantifper æftus remitteret, fomno indulget. Ecce autem, dum arctè & graviter ex laffitudine dormit, phantafiæ æ-

VIII. *Ab ingẽti periculo fervatur.*

ftu

ſtu impetuque abreptus, ut ſomniantibus uſuvenit, ſociis & ipſis gravi ſopore oppreſſis, ſurgit, inambulat, & ad præterfluentem Olbim rectà contendit. Jamque ad extremam ferè amnis crepidinem venerat, cui altiſſima aquarum vorago ſubjecta erat, cùm repentè evigilat, & periculum vix ſui compos agnoſcit. Ubi aliquantulùm ſe collegit, ad ſocios rediit, eiſque ſingularem caſum trepidè nunciavit. Phantaſiæ certè vis illa fuerit, & vehementior ſomniantis affectus, quòd dormiens ambularet; at nonniſi DEI conſilio ac providentiâ factum, ut periculo proximus in veſtigio ſtaret, ſimulque excitaretur à ſomno. Ipſe quoque beneficii memor, cuſtodis Angeli patrocinio acceptum referebat, quòd ſe olim infantem à ſagarum maleficiis, & hîc pariter à præcipiti in fluvium caſu, fauſtè feliciterque ſervaſſet. Ex eâ divini numinis erga puerum curâ, totque virtutum ornamentis, quibus præditum diximus, conijcere licebat, eum ad præſtantiorem vitam, atque ad Religioſum magis inſtitutum, quàm ad ſæculi mores erudiri.

IX, *Vocatio* Et veró in ſtudiorum curriculo non longè proceſſerat, cùm hanc illi mentem

DEUS

DEUS injecit. Principio quidem, ut conſcientiæ moderatoribus ipſe aperuit, ſubire animum cæpit ingens voluptatum honorumque faſtidium; tùm odium, metuſque vitiorum, ad quæ iſtæc rerum fluxarum blandimenta vulgò mortales impellunt. Hos ut ſcopulos & flagitiorũ illecebras declinaret, reſpiciebat ſtationem quampiam, in quâ certum ſalutis perfugium haberet: & nullibi quidem tutior occurrebat, quàm in Religioſo cœtu optimis legibus conſtituto. Deinde ut ad ſanctius illud vitæ genus vocari ſe intellexit, hærebat incertus animi, cui potiſſimùm, tot inter Religioſos ordines, nomen daret. Ut autem de re totâ ſapienter, conſultòque decerneret, & ſuas ipſius vires privatis pietatis operibus, & numinis voluntatem multâ prece, ac jejunio explorabat. Imprimis cùm aliorum cælitum, tùm Sanctiſſimæ Dei Matris quã, à puero, præcipuâ religione colebat, opẽ, ac deprecationem adhibuit. Precatorios quotidiè, in ejus honorem, globulos volvere; ad ejus aras & imagines orare frequentiùs; & ſtatis in hebdomadâ diebus, ob ejus reverentiam, jejunare. Propitiato in hunc modum, Virginis operâ, Nu-

*ad Religionem.*

mine

mine, intellexit non modò ſuæ, ſed proximorum quoque ſaluti incumbendum. Quare ad Societatem Jesu, cui munus utrumque propoſitum eſt, cogitationem tandem atque animum appulit. Et mox ubi frequenti precatione, adhibitoque piorum hominum conſilio planè compertum habuit, non juvenili levitate conceptam, ſed à DEO immiſſam hanc Societatis ineundæ ſententiam, viſus eſt illicò ad ejus ſe mores fingere, & labore aſſiduo ac quotidiano, religioſæ diſciplinæ paulatim aſſueſcere. Certum diebus ſingulis tempus, rerum cæleſtium meditationi, lectioni piorum librorum, & literarum ſtudio tribuebat: voluntariâ corporis afflictatione culpas leviſſimas expiabat, obibat frequenter ſacra Confeſſionis & Euchariſtiæ myſteria: ſociorum in circulis de virtute ac pietate, ſermones injicebat; eoſque ad Dei cultum, ad contemptum rerum mortalium, ad vitæ Religioſæ amorem, crebris adhortationibus, incitabat. Proludebat nimirum, iſtis initiis, novo vitæ generi, quod meditabatur; cui cùm apprimè idoneus moderatoribus videretur, eum in Societatem, libenti prolixoque animo, admiſere.

Tolosam missus, domumque Probationis ingressus anno ætatis decimo nono, æræ Christianæ millesimo sexcentesimo decimo septimo, visus est statim munire ac corroborare vitæ sanctioris fundamenta, quæ in sæculo jacere, & moliri jam cæperat. Submissionem animi quam humilioribus obsequiis foras prodere, sæculi mores non patiebantur, in religiosi secessûs umbrâ ritè ac commodè exercebat. Cùm enim Novitiorum constantia domesticis vulgò abjectisque ministeriis, probari soleat, infima quæque expetebat ille, & cupidè amplectebatur. In hospitali præsertim Divi Jacobi valetudinario, quò statis anni temporibus, ad curanda pauperum corpora, Novitii nostri convenire solent, isteB. JOANNIS-FRANCISCI ardor, & suimet vincendi studium enitebat. Lectulos plurimâ sanie & tabe manantes, in se sternendos suscipere; ægros acerbiorem spirantes halitum, & gravioribus morbis affectos excipere brachiis. lectósque magnâ alacritate versare; hiantia latè vulnera, ulceraque, quorum aspectus robustissimos quosque ârcebat, fovere, attrectare, & Chirurgis medentibus manus famulas exhibere.

X. *Ingressus in Societatem.*

*Novitii fervor in asperioribus ministeriis.*

Ani-

XI. *In omni genere precationis.* Animo sui contemptori egregio, divinum certe numen se liberaliter infundebat. Et in quotidianâ quidem meditatione, pius Juvenis ità rebus divinis afficiebatur, ut abstrahi sensibus, & rapi in extasim videretur. Perstabat dein, reliquum diem, velut jugi in oratione defixus, vigili custodiâ sensuum, & intentâ in DEUM cogitatione, quem ubique, & rebus in omnibus, præsentem intuebatur. Emicabat ex oculis, totoque ex vultu ardor ille pietatis, tùm maximè cùm ad Ss. aras & pulvinaria supplicabat. Visitur Tolosæ amplissima Divi Saturnini Basilica, operis mole, & antiquitate, pluriumque tum Apostolorum, tum Martyrum reliquiis inclita. Extant magno numero Beata corpora publico cultui proposita, sive in cryptis subteraneis, sive in patentibus circa templi ambitum loculamentis, conformatis, in speciem humani corporis, ex auro & argento thecis inclusa. In illud Templum diebus festis designati, per vices, Societatis Novitii, orationis causâ mittuntur. JOANNES FRANCISCUS præ cæteris, quoties eundi tempus & ordo recurreret, lætitiâ gestiebat. Mirabantur socii, altaria singula, ritè ac suppl-

pliciter, obeuntem, Divos Templi incolas eo precantem mentis affectu, & sacras illorum exuvias, eâ lacrymarum vi, ac religione venerantem, ut cum domum redeundum foret, ab earum conspectu, complexuque avelli non posset. Hauriebat nimirum ex Sanctorum corporum aspectu, futuræ sanctitatis exempla, & in meditatione beatæ ac sempiternæ felicitatis, quâ eorum animi in cælis perfruuntur, cælestis jam tum vitæ gaudia delibabat.

*In imitatione fratrū.*

Verùm non istis duntaxat Sanctorum Cœlitum, sed domesticis quoque Sociorum exemplis, juvari se sentiebat, ad eam, quam animo destinabat, vitæ sanctimoniam comparandam. Observabat sedulò singulorum virtutes, quas privatim imitaretur: & si quid fortè peccarent, alleviabat culpam, aut voluntatem excusabat. Cùm enim tenera Novitiorum virtus, vel levissimis aliorum erratis offendi soleat; nihil umquam ille temerè interpretari; de omnibus rectè sentire; alienaque dicta, & facta in optimam partem accipere.

XII. *Virtus Arnaldi Bore-*

At non alio cujusque permoveri se acriùs fatebatur, quàm sapientissimi senis exẽplo, quem eâ tempestate notum sibi vi-

*tiEx Senatoris Tolosani.* sumque, in partem felicitatis numerabat suæ. Erat is Arnaldus Boretus ex Senatore Tolosano jam homo privatus, & in domo Probationis, cùm per ætatem provectam, novitium esse non liceret, hospes & contubernalis. Convenerat inter ipsum, & uxorem, paris pietatis fæminam, ut re omni familiari in Religiosas familias & pauperes distributâ, remotam à strepitu pompâque sæculi, quisque seorsùm, vitam inirent. Et illa quidem secessit in Cœnobium Divæ Catharinæ Senensis suis recenter sumptibus extructum: ipse aliquantò post, abdicato Magistratu, in Novitiorum, ut dixi, Societatis domicilium se recepit, retento vestitu, & nomine pristinæ dignitatis. Hìc Religioso vivebat ritu, legum nostrarum, & domesticæ disciplinæ cultor egregius. Jeiunio, flagellis, multáque vitæ asperitate corpus senile cruciabat: noctu, cannabino paleâque distento cubabat in sacco: diei partē maximam degebat in odæo, quod cubiculo adjunctum, Sacrario imminebat: statutis autem horis dabat se absque delectu, in Novitiorum congressum, prout in obvios quosque incidebat. Atque hoc potissimùm loco B. JOANNES-FRANCISCUS optimi

primi ſenis ſapientiam, ac ſanctitatem mirabatur, & ex frequentibus illis cum viro Sancto colloquiis, ad omne virtutis ſtudium vehementer exarſit.

Peracto in hunc modum, Probationis biennio, docendæ publicis in ſcholis, Grãmaticæ admotus eſt; ſubinde ad tradendas humaniores diſciplinas progreſſus. Quo in munere, cùm ardenti jam tum proximorum ſalutis ſtudio teneretur, id ſpectavit unum, ut teneros puerorum animos, literis ſimul, & moribus Chriſtianis imbueret. Cùm enim ex pueris, ubi in viros excreverint, omnis Reſpublica efflo- reſcat, intelligebat ab optima eorum inſtitutione, in ſingulos Reipublicæ ordines manare ſanctitatem. Primùm quidem, juxta conſvetam horarum partitionem, ſcholæ penſum accuratiſſimè à diſcipulis exigebat: tum iis, quæ in explanandis autoribus occurrebant, admonitus, ſermonẽ de rebus divinis ſenſim injiciebat. Neque enim ſtatis ſolùm per hebdomadam temporibus, ſed ſingulis omnino diebus, ſi quæ, ex re & tempore, daretur occaſio, eos ad pietatem, ad DEI Virginis cultum, ſtudiosè diligenterque excitabat. Et ſanè conſtat ab eo morem illum inductum, XIII. Scholarum Magiſtri pia & literaria exercitationes.

quem religiosè hactenus in istis regionibus posteri retinuêre, ut audito horologio, solita scholæ exercitatio tantillùm conquiescat, dum Angelica, privatim ab omnibus, salutatio recitatur. Hæc autem pietatis, aliarumque virtutum officia, quæ publicè svadebat, privato deinde colloquio puerorum animis altiùs eorum indolem; an ad vitium, aut ad honestatem propensior foret; quæ subessent peccandi illecebræ; quæ studiorum impedimenta; quibus domi contubernalibus; quibus in urbe socijs ac familiaribus uterentur. Et teneram quidem indolem crebris formabat monitis ad modestiam & probitatem; vitiorum blandimenta & offendicula removebat, abductos demum á pravorum consvetudine, pijs honestisque sodalibus adjungebat.

XIV. Verùm nullâ re aliâ ad virtutem discipulos faciliùs pelliciebat, quàm Religiosæ vitæ exemplo. Intentis velut in Angelum oculis, mirabantur sedatos omnes compositosque corporis motus, gravitatem incessûs, morum svavitatem, vultúsque modestiam. Audiebant de rebus divinis eâ vi, eo affectu disserentem, planè ut intelligerent, pietatis intimos sensus, & latentem in animo sanctitatem foras erumpere. Amabant, in-

primis moderationem animi singularem, in tantâ ingeniorum & morum varietate, seu peccantes corrigeret, seu in officio contineret. Cumque adolescentes interdum juvenili æstu abrepti, modestiæ fines prætergredi soleant, ità ille sibi temperabat, ut neminem unquam castigaret asperiùs, nec acerbiùs appellaret. Et discipuli quidem his magistri exemplis simul & præceptionibus eruditi, sic omne Christianæ juventutis officium, ac munus explebant, ut eos à cæteris Collegii alumnis præcipua quædam pietatatis ac modestiæ nota discerneret.

XV Zelus extra scholæ limites effusus

Neque verò Religiosi Juvenis zelus, & proximos juvandi studium se scholæ finibus continebat. Excurrebat identidem superiorum missu, ad rusticanas Ecclesias, periculum facturus Apostolici muneris, ad quod se jam istis initiis comparabat. Dicebat in cætu rusticorum tam populariter, tamque acri & vehementi oratione ut faterentur illi neminem unquam à se auditum qui magìs ad suum captum, magis ad permovendum apposité perorare. Et fuit aliquando (quod de Christo ipso memoratur) cùm honesta matrona, concione dimissâ, exclamaret, Beatam parentem, quæ talem filium genuisset; nec se minùs Beatâ,

quòd cum audiviſſet concionantem; Beatiſſimam ſi eundem ſæpiùs audire contingeret. In urbibus verò, ubi per ætatem & ordinem concionari non liceret, pro virili tamen parte pium opus egregiè promovebat. Auditorum ſalutem, & concionatorum induſtriam, multâ prece, Numini commendabat, mirè deinde ſolicitus, quo iſti dixiſſent, plauſu, quis in illis orationis fructus, quis animorum motus extitiſſet. Cúmque viſus erat orator multitudinis animos acriùs permoviſſe, advolabat illicò in ejus cubiculum non ut compoſita, quod vulgò fieri ſolet, laudatione, hominis mulceret animum, ſed de excitatis ad veram contritionem & pænitentiam auditoribus, perinde gratias acturus, ac ſi ipſe, privato nomine, eximium aliquod beneficium retuliſſet.

XVI. *Studia Philoſophiæ.* In ipſo docendi curriculo, á ſcholis Grammaticæ revocatus, Turnonem ad ſtudia Philoſophiæ mittitur. Intelligebat Religioſum hominem in hac ingenii exercitatione, ſubmiſſione animi indigere ad comprimendam mentis elationem, ſi ſubtiliſſimæ facultatis argutias facilè aſſequeretur; ſin minori acumine & perſpicaciâ polleret, ad ferendam, æquo ac patienti animo, ſuam illam ingenii tarditatem. Hujus itaque

que virtutis maximè ſtudioſus, Magiſtris dicto audientem, & mirè docilem ſe præbebat; atque ubi argumentatione conatus erat veritatem elicere; eorum demùm placitis velut oraculis aſſentiebat. Inter diſputandum, cùm erat ratione ſuperior, non ſuperbiebat ille; nec juveniliter exultabat; neque itèm, ubi cauſa deterior ſua videbatur inſtabat pugnaciter; aut ignominiæ metu, ut ſit, diſputationem clamoribus extrahebat. Et ſententiam quidem modeſtiſſimè defendebat ſuam, & cùm ſolutum nodum exiſtimabat, ſilebat illicò, confectumque planè negotium, bona fide fatebatur. Nec ſanè minùs ſilentem quàm diſputantem ornabat iſtæc verecundia. Sedebat in ſchola eo vultûs ac corporis habitu qui externis adoleſcentibus modeſtiam ſvaderet. Ad prælectiones & exercitationes alias ità animum attendebat, ità colligebat ſeſe, ut ſimul Magiſtrum docentem audire, & præſentem Deum intueri videretur.

Verùm nec in iſta quoque ſtudiorum occupatione, conſvetam animorum ſalutis curam omiſit, opportunitate uſus ſtationis Turnonenſis ad pium opus inprimis idoneæ. XVII. *Zelus tempore ſtudiorum.*

Sub ipsum ferè Calvinianæ hæresis ortum, Franciscus Cardinalis Turnonius in Collegium illud, eleganti & magnifico opere, abs se nuper extructum, homines Societatis induxerat, qui suis simul & externis, liberales omnes disciplinas traderent, & grassantem in vicinis Provinciis pestem, ab ista urbe ejusque confiniis prohiberent. Et viro summè Catholico, deque re Christianâ universâ optimè merito egregiè constitit sui laboris, atque operæ fructus. Etenim socii Turnonenses ex eo tempore, itâ rem Catholicam promoverunt, ac porrò eâ sedulitate, atque constantiâ promovere pergunt, ut variis anni temporibus, numero interdum plusquam triginta in vicina oppida & pagos excurrant. Quâ ratione factum, ut cum hæc omnium querela esset, quòd ager Vivariensis præter cæteras Galliæ Provincias, Calvinianorum multitudine abundaret, in vicinia certè nullum prorsus ex ea secta caput existeret. Et Deum quidem optimum gratos, acceptosque habere sociorum labores, vel illud docet, quòd ex eorum numero, unum & alterum laude Martyrii decoraverit.

XVIII. Patrem dico Jacobum Salesium, qui

in Collegio Turnonensi Theologiam doceret, Albenacum missus sub finem sæculi superioris ut nutantem ea in urbe Religionem Catholicam tueretur, propter invidiam sacerdotii Societatis, ab Hæreticis cæsus est, cum socio Gvilhelmo Saltamochio adjutore domestico. Et sacra eorum corpora Turnonem postmodum revecta domi religiosè asservantur, donec Apostolicæ Sedi visum fuerit, quod suppliciter dudum exposcimus, publicos eis martyrum honores, cultumque decernere. Interea Socii præsentem opem ex beatorum pignorum contubernio sentiunt, in Religione amplificanda, excolendisque tum antiquis, tum recentioribus finitimæ regionis Catholicis qui Christianissimi Regis hortatu, & ipsorum industriâ in gratiam cum Romana Ecclesia, postliminio rediêre.

*P. Jac. Salesius*

XIX. Eâ erga proximos juvandi consvetudine B. JOANNES FRANCISCUS mirificè delectatus, Superiorum permissu, uni è sacerdotibus domesticis comitem se adjunxit, quo cum, diebus festis ad erudiendam agrestem plebem, in villas & pagos exibat. Pagum ingressi, Sacerdos quidem in Templum rectà se conferebat pænitentium confessio-

ſiones excepturus, ille vicatim oſtiatimque ſedulò conquirebat, qui vellent ſalutari Sacramento, animi ſordes eluere. Et eos omnes unum in locum congregatos docebat ritum, Chriſtiano more confitédi, atque ad contritionem & anteactæ vitæ deteſtationem hortabatur: mox probè paratos, inſtructoſque perducebat in Templum, & ſacerdotis ipſemet pedibus ſupplices admovebat. Poſt prandium, dum Sacerdos ad concionem ſe compararet, ille interim pueris, & rudiori plebe, tintinnabuli ſonitu, convocatis, Doctrinam Chriſtianam & præcepta fidei, ad eorum captum populariter explanabat.

Ut autem confeſſionis ille & Euchariſtiæ perpetuus vigeret uſus, Sanctiſſimi Sacramenti ſodalitates inſtituit, quæ in varia loca propagatæ, magnâ hactenùs pietate & frequentiâ celebrantur. Et in oppido quidem Andancæo, cuius Eccleſiæ jura annexa ſunt Collegio Turnonenſi, cùm unum huiuſmodi cætum conſtituiſſet, mirum eſt quam apud ſodales fidem, adoleſcens necdum ſacris ordinibus initiatus, quantum imperium obtineret. Diebus dominicis domum veniebant cum eo de rebus acturi, quæ vel ad privatam ani-

mi

mi sui tranquillitatem ac salutem, vel ad publicam sodalitii administrationem pertinerent. Si qui lite ac jure contenderent, eum ultro controversiæ judicem deligebant; & ille amotis fori jurgiis, caussam, auditis partibus, componebat. Citabantur apud eum rei, qui domi asperiores, familiam ictibus & convitiis vexarent; qui adamarent aleam, & popinas; qui Sanctissimum DEI nomen execrationibus violarent, quos ipse pro ratione culpæ, aut castigabat verbis, aut è sodalitate pellebat. Illi verò hæc monentem & disceptantem eâ reverentiâ ac docilitate audiebant, ut vel Novitios Religioso Magistro, vel Parenti liberos benè moratos adstare diceres,

XX. *Virtutis exercitationes inter studia Theologiæ.*

Philosophiæ curriculum emensus, disciplinas humaniores de more tradidit, eodem planè, quod in docenda Grammatica tenuerat, vitæ Religiossimæ, & juvandi proximos instituto. Tolosam deinde accitus ut Theologiæ operam daret, ad illa pietatis opera, quæ olim inter studia Philosophiæ adamaverat, eò majori curâ cœpit incumbere, quò jam propius intelligebat Sacerdotii tempus instare. Et decebat omnini præclaris ornatum instru-

ctum-

ctumque virtutibus, ad ampliſſimum ac penè divinum munus accedere. Cùm autem ad illud rectè obeundum, rerum cæleſtium amor & maximè juvent, ex Theologiæ ſtudio id percipiebat emolumenti, ut cùm diſciplinæ aliæ vulgò ſenſum pietatis obtundent, hæc eundem acuat, & vehementiùs incitet. Itáque mentis intelligentiam limabat ſimul, & affectum inflammabat. Scholæ exercitationibus, & rerum Theologicarum ſpeculationi ſtatum quotidie tempus dabat; quod ſupererat otii domeſticis miniſteriis vacui, orationi tribuebat. Cúmque nec ereptum diurnis occupationibus otium, precandi ſtudium & cupiditatem expleret, divinarum rerum contemplationi nocturnas quoque vigilias adhibebat. Obſervare id potiſſimùm licuit in ſuburbano Campaniæ prædio, quò vacationum autumnalium tempore, noſtri à ſcholis & ſtudiis feriari de more ſecedunt. Cùm enim, ea tempeſtate, in illam amplitudinem, quæ nunc viſitur, ædes laxatæ non eſſent, ſingula ſociis ſingulis conclavia non ſuperebant. Eâ occaſione unus è contubernalibus, qui poſt multos annos rem nobis ipſe narrabat, advertebat B. Joannem Franciscum ſingulis noctibus, le-

vi somno recreatum, silentio, cubili, exire, & maximam noctis partem, in oratione perstare. Rei admiratione obstupefactus, monuit unum ex antiquioribus Patribus, qui tunc sociis in villa degentibus præerat. Atque ille eximiæ viri virtutis optimè conscius, noli, inquit, oranti obstrepere, & svavissimam cum DEO consvetudinem inhibere. Erit, erit aliquando tempus cum socii istius tui sanctitatem Festo ac solenni die celebrabit. Nobis certè qui cælestem seris hujus sapientiam asperamque vitæ duritiem probè perspectam habuimus, minimè dubium est, quin singularem B. JOANNIS FRANCISCI Sanctimoniam, futuramque nominis ac famæ celebritatem, divino instinctu, afflatuque præsenserit.

*P. Franc. Tarbe. Ex provinc. Tolos.*

XXI. Ex eo pietatis sensu submissio animi, ac modestia oriebatur. In convictu etiam Religioso plurium eiusdem generis hominum, ut quisque ingeniosior est, ità amat cum amicis familiariter & acutè jocari. At nemo est qui velit hujusmodi, seu dicacitati, seu argutiis patere, & qui ex æmulatione ingenii, non conetur joco repellere. Unus B. JOANNES FRANCISCUS argutè in se, ac facetè dicta leni excipiebat risu, nec verbum un-

quam

quam cavillantibus reponebat. Diceres, ut alii plausu; ità ipsum sui contemptu, ac ludibrio delectari. Ex eadem laudis humanæ despicientiâ, à moderatoribus enixè contendit, ut â studiis Theologicis ante finem quadriennii removeretur. Et illi, cum non ambigerent hominem ad vitæ genus humile, & operosum à Deo vocari, ejus tandem votis, ac diuturnis precibns annuerunt. Quod sanè quantam arguat submissionem animi, qui res Societatis nôrunt satis intelligunt.

Itáque monitus, ad Sacerdotium ut se compararet, quamquam illud cupidissimè expetebat, ancipiti tamen spem inter & metum, cogitatione distractus, cœpit amplissimi muneris momenta omnia diligenter expendere. Nam & suæ conscinetiâ tenuitatis, ac Sacri Ordinis reverentiâ, ab eo refugere videbatur; & ingenti proximos juvandi studio, ad illum se vehementer sentiebat impelli. Inter has fluctuantis animi curas, vicit tandem charitas & ratio salutis animarum. Etenim modestè professus suam illam tenuitatem, DEUM optimum contestatus est, se eius dumtaxat, ac proximi gratiâ, ad mysterium altaris accedere, fautoremque & adiutorē

*Fit Sacerdos.*

spera-

ſperare illum, cuius unius gloriam, in adeundo ſacro munere propoſitam habuiſſet. Hoc religionis ſenſu ad Sacerdotium evectus, eodem deinceps ſolitus eſt ſacrificare. Quoties peragebat rem divinam, effluebat in vultum, totumque corporis habitum, interior ille pietatis ac mentis affectus, unde ſe protinus adſtantium in animos effundebat. Affirmabant, qui primùm ſacrificanti adfuere, ea ſe ſpiritûs dulcedine delibutos, quam vix intimis præcordiis continerent. Et quamquam plerique Chriſtianorum, longiores in ſacris myſteriis faſtidiunt mores, fatebantur omnes deinceps, ſacrum quod ille faceret, licèt interdum pluſculum produceretur, nec tædium planè, nec Satietatem afferre.

XXII. *Miſſionibus campeſtribus ſe addicit.*

Poſtquam Sacerdotium iniit, opportuno jam ſubſidio ad ſalutem animorum inſtructus, omni curâ cœpit in nobiliſſimum opus incumbere. Et quoniam reliquum vitæ tempus quod fuit annorum omnino tredecim, in campeſtribus ferè Miſſionibus exegit, præter, menſes aliquot, quibus identidem in Collegiorum otio, vires ex diuturno labore reficiebat; res ab eo domi

& foris: sive; in pagis & in urbibus sanctè gestas separatim prosequemur. Ruri quidem, asperrimi in Diæcesibus Viennensi, Aniciensi, & Valentina, Vivariensium ac Velaunorum montes Apostolicis excolendi laboribus obtigêre. Cùm autem hyeme ferè, montium incolæ pruinis ac nivibus, agrorum culturâ prohibiti. in mapalibus ac tuguriis otientur, hanc ille tempestatem: ad ea loca peragranda, aptiorem existimabat. Itáque ubi primùm, exeunte autumno, montium cacumina nivibus albescebant, in designatam stationem, quantumvis arduo ac difficili ascensu, illicò evolabat. Nec mora; templum adibat, qúamquam plurima nive & imbre perfusus, ut suscepto operi, Dei præsidium opemque deposceret: & si fortè aditus non pateret, diù multumque, pro templi foribus, frigido sub aere, supplicabat. Eo in habitu situque non semel inventum, vix quidem, parochus & rustici in hospitium compellebant.

XXIII. *Vitæ institutū in Missionibus.* Hanc porrò in montanis illis Missionibus, vivendi normam tenebat. Summo mane rusticæ plebi, Christianæ doctrinæ capita explanabat. Tum per confertam multitudinem, ad sacrum Pœnitentiæ tribunal accedens, incredibili patientia donec

in

in concionem aſcenderet, confitentes audiebat. Poſt meridiem, ex facultate hominibus Societatis eo loco conceſſa, faciebat, ſacrum; niſi ob penuriam alterius Sacerdotis, ante lucem jam fortè peregerat; mox ê ſacrario ſe ſubducens, ad vires utcumque reficiendas, tenuem ac parabilem adhibebat cibum. At vix menſæ aſſederat, cùm vel in templum revocabatur, ut confitentibus navaret operam; vel aderant ex condicto, rebus ut animis diſſidentes, quorum ille, pomeridianis horis, lites omnes ac controverſias dirimebat. Sub veſperam iterum concionabatur. Mox levi cænula contentus, ac plerumque incœnatus, ad mediam uſque noctem, aut confitentibus dabat aures, aut orationi vacabat. Atque hoc vitæ inſtitutum, & duritiem, eâ conſtantiâ tenuit, ut mirum planè foret, hominem inediâ vigiliiſque confectum, tam gravibus ac diuturnis animi corporiſque functionibus parem fuiſſe. Patuit illud inprimis cum inter concionandum, deficientibus non ſemel viribus, adſtantium brachiis efferrendus é templo fuit.

XXIV. *Itinerū difficultates.*

Nec minoribus conflictabatur ærumnis inter viarum difficultates, quàm in ipſa ſtatione; ſive ex uno pago in alium miſſio-

nis obeundæ gratiâ, iter haberet, ſive circumpoſitas dein templo principi caſas & tuguria concurſaret. Pedes ſemper iter conficiebat, & quando ab iis, qui ad ſe evocabant, equus ſubmittebatur, famulo in jumentum impoſito, ipſe pedibus ambulabat. Occurrebant frequenter, ut eſt locorum natura, montium altitudines, rupium aſperitates, viarum plana ità nivibus contecta, ut nec ſemita ulla neque hominum, aut animantium veſtigium ullum extaret. Quæ ille incommoda, non minori alacritate quàm conſtantiâ ſuperabat. Narrabat ſocius, cùm nimboſo ac caliginoſo cælo ſtationem aliquando mutarent, & adhuc à viæ termino procul abeſſent, irruente nocte repente oppreſſos. Et ille Patrem hortabatur, nè per hæc loca & tempora, iter proſequerentur ad pagum diverterent quem propè conſpicabantur, ubi tutò apud amicum hoſpites pernoctarent. Cui Pater at Miſſionem, inquit, in craſtinam lucem indiximus; & præmonita plebs ad matutinum ſacrum verba facturos haud dubiè præſtolabitur, quam eo fructu & emolumento, per noſtram incuriam ac timiditatem, plane carere non decet. Macte virtute atque

que constantiâ Pater; præibit Custos Angelus, & DEUS ipse, cujus causa agitur, omnibus ereptos periculis ad destinatum locum traducet incolumes. Et simul pallio se involvens, baculoque nitens gradum accelerabat. At ingruentibus tenebris, recentique nive vestigium crebrò fallente, laterũ tenùs immergebatur; & vix unã congeriẽ evaserat, cum præceps in aliam volvebatur. Augebant nocturnos metus clamores luporum è vicino nemore ululantium. Socius interim vires omnes nervosque contendens, quamquam loco & tempore perfrigido, sudare, vix, è lassitudine, spiritum ducere & suam utriusque confidentiam accusare. Pater hominem blandè compellans, en tempus aiebat, quo patientiæ merito augeamur. Nefas omnino oblatam divinitùs, durum aliquid tolerandi, occasionem amittere. His dictis mutuó excitati, vires utcumque & animum revocarunt; unóque nivis candore itineri prælucente, enecti frigore, atque extremo penè spiritu exangues, tandẽ in hospitiũ pervenere.

Neque verò hac vice simplici, sed quoties ab uno loco in alium, sacra Missionis munia transferebat, in eas conjectum angustias socij affirmabant. Cùm enim XXV.

ex uno pago aut oppido discessurum infecta negotia, & residua confitentium turba ad multam diem morarentur, in eadem noctis & viarum pericula sæpius incurrebat. Quàm autem parum idonea, in asperis montibus, occurrerent diversoria ad recreandum hominem inediâ & lassitudine confectum, æquùm est existimare. Nullibi tamen diversabatur jucundiùs, quàm ubi pluribus incommodis premeretur. Cùm nocte quadã, ad agreste gurgustium divertisset, in quo nihil ad vescendum, præter cibarii panis frustula, ad cubandum nihil præter aliquod paleæ fasciculos suppetebat; næ satiùs fuerat, exclamat arridendo comes, in eo quem prætervecti sumus, pago subsistere, ubi contigisset paulò liberaliùs hospitari. Atqui, nos, excepit Pater, qui Christi exemplo, erudiendis pauperibus vitam addiximus, liberaliùs nunquam accipimur, quàm cùm rerum omnium penuriâ laboramus. At ærumnas & labores huiusmodi divinum Numen fructu uberi mitigabat.

XXVI. Ea erat de sanctimonia B. Regis omnium ubique existimatio, ut simul adfuturum illum fama vulgaverat, maxima hominum multitudo audiendi causâ ad

con-

condictum diem & locum ex omni circum regione conflueret. Suis illa quotidie tectis & pagis effusa, ita matutinis & vespertinis horis, Templum opplebat, ut inter festum profestumque diem, nihil planè discriminis interesset. Alii intentis in concionantem oculis animisque, ab eius prorsus ore pendebant; alii orationis gravitate permoti, anteactæ vitæ crimina, perpetua concione, deflebant. Mox ubi è suggestu descenderat, in Pœnitentiæ subsellium irruebant, atque ad eius pedes abjecti, hominem, dies totos, eâ frequentiâ cingebant, quæ vix liberũ vescendi ac quiescendi spatium daret. Quin immò cum perfecto jam opere, ex una statione migraturus esset in aliam, & recens multitudo continenter accurreret; nè ad constitutam diem, indicto jam cœtu, abesset, inter ambulandum confitentibus præbebat aures. Præibat Pater, eius qui primus occurrerat, excipiendæ confessioni intentus; sequebatur rusticorum agmen, oculis humi demissis, Rosarii globulos decurrentium; cumque unus ritè noxarum fuerat absolutus, alter alteri succedebat. Nonnulli etiam Missionis tempore, accessu exclusi, ut eo beneficio ipsi quoque fruerent-

rentur, abeunti ſe ultro, per nivales & devios montes, itineris aut duces, aut comites adjungebant. Et conſtat eorum aliquos, ut peccata animique moleſtias in eius auribus ac ſermone deponerent, nullo cibo & potu, per ſex leucas integras hominem proſequutos. At non modò qui ſpontè accederent, admittebat ille per humaniter, & patienter audiebat; ſed quos inveterata peccandi conſvetudo retraheret, aut metus ac rei difficultas prohiberet, ſingulari ſolertia, mulcendo, increpando, alliciebat ad ſe, & ad Pœnitentiam pertrahebat.

XXVII. Expetebatur certatim à plebe & Parochis: cumque pagus unus, aliquandò per nuncios, eum ad ſe multis precibus invitaret, & ille tunc quidem præſtò eſſe non poſſet, lacrymaſſe palàm ferunt; ſeu fidem miraretur hominum, DEI regnum tam ſolicitè quærentium, ſeu vicem doleret ſuam, quòd parvulis enixè rogantibus, cæleſtis doctrinæ pabulum dividere non liceret. At ij quibus ſpes nulla erat, virum DEI ſuos in vicos & oppida evocandi, ne præclaris eius documentis carerent, ad eum ſe ſe ex locis remotiſſimis conferebant. Cùm, die quadam, Templum

plum aditurus domo pedem efferret, occurrit advenarum manipulus; è quorum numero unus; ne gravêre, inquit, Pater optime, confitentes audire; nam duorum dierum iter, hoc eſt leucas omnino duodecim ultrò confecimus, ut nos Pænitentiæ Sacramento, & ſalutaribus monitis impertires. Ille gratiis DEO actis, qui laborum ſuorum fructus longiùs ſpargeret, ad virtutem & pietatem pro concione eruditos, ac ritè Pœnitentia expiatos remiſit in patriam. Nec minori cura homines inter ſe quàm cum DEO ipſo in gratiam reducebat. Pagorum oppidorumque domos ſingillatim obibat, & ſi quæ familiæ à ſe invicem animis aut litibus diſſiderent, eas ille, omni ope, in concordiam revocabat: tenuiores præſertim adverſus potentiorum injurias, ſuo etiam periculo, tuebatur.

XXVIII

Agebat de more in uno Occitaniæ pago, cùm trepidè nunciatur militum turmam adventare. Ruſtici ſubito timore perterriti vaſa colligunt, convectáque in Templum, prædantium cupiditati maturè ſubducunt. Milites pagum ingreſſi deſertas domos, rebuſque omnibus vacuas & nudas offendunt. Latebras ſuſpicati ad

Templum rectà contendunt. Jamque valvis ac repagulis vim parabant, cùm Pater ex tumultu rem interpretatus, per medios armatos celeriter advolat, templique aditum occupans, nec pudet, inquit, paucam supellectilem miseræ gentis invadere, & sacrum asylum dextris rapacibus violare? At per meum latus irrumpetis in Templum, & ego hîc pro paupercula plebe, cujus mihi salus á Deo credita est, libenter moriar. Illi, seu religione loci, seu fortis æquè ac pij Sacerdotis reverentiâ permoti, cohibuêre impetum, & pago protinùs abscessêre.

At non perinde valuit, apud milites Calvinianos, Catholici Sacerdotis authoritas. Dũ audiendis cofessionibus alio in pago vacaret, ecce subitus è vicina domo nuncius admonet, milites cuncta miscere, hospitemque eò vexare, ut tumultum & strepitum pactâ pecuniâ redimat. Ergo hominis vicem miseratus, festinus accurrit, vociferantes blando sermone delinit, & ab inferenda injuria multis precibus dehortatur.

Illi, virum Religiosum irrisione sibilisque explosum, in malam crucem abire jubent, & recedentem ad sua, cepis in caput impactis, magno convitio insequuntur

tur. Centurio, re intellecta, venit ad Patrem, facinus indignum exclamat, rogat obsecratque, ut pœnæ genus in reos ipsemet, pro arbitrio, statuat. Pater, nè hac qualicumque vindictæ specie, oblatam patientiæ palmam amitteret, supplicium omne à sontibus deprecatur. Docet se Christianum concionatorem, non probri sed beneficii locò, contumeliam ducere: juvare ad commendationem Religionis Catholicæ, suum istud mansvetudinis & Charitatis exemplum: ex eo conjecturam facturos Calvinianos milites hanc demum esse germanam Christi Religionem, quæ ex optimi Magistri præcepto, injurias condonaret: agere se dumtaxat rusticorum causam, unumque illud enixè contendere, seriò ut edicat nè quis misellam gentem rapinis aut convitiis vexet, atque in eum, qui secus fecerit, graviùs animadvertat. Centurio hominis mansvetudinem ac patientiam admiratus, quod exoptabat, abundè perfecit.

XXIX.

Verùm non id spectabat solùm, ut dum in villis ac pagis moraretur, omne genus hominum ad vitam sanctiorem alliceret; sed inprimis dabat operam, ut sua illa documenta firma in posterum ac stabilia

per-

permanerent. Inſtituebat ubique Sanctiſſimi Sacramenti Sodalitates, quarum ope, perpetuus Confeſſionis & Euchariſtiæ vigeret uſus. In privatas domos morem inducebat, ut ad ſerotinas preces antequam cubitum deſcenderent, tota familia conveniret. Inter exponenda Doctrinæ Chriſtianæ præcepta, ut profanas cantiunculas ablegaret, jubebat pueros ac puellas, pia, de myſteriis fidei, carmina eiſdem muſicis numeris alligata palàm in Templo recitare. Et illi tum piorum carminum ſuavitate illecti, tum ut ea quæ didicerant, memoriâ firmiùs retinerent, eadem deinde in pagis & in agris, in ſylvis & montibus concinebant. Informatâ in hunc modum, ad omnem virtutem & pietatem, ruſticana plebe, ad excolendos in urbibus ejuſdem generis homines, curam potiſſimùm conferebat.

XXX. *Apoſtolici labores in Urbibus*

Cùm enim ſuam omnem operam infimis quibuſque vitæ Apoſtolicæ miniſteriis devoviſſet, erga viliſſima Chriſtianæ reipublicæ capita, charitatem & miſericordiam exercebat. Dominicis feſtiſque diebus, famulitium omne, & rudiores opifices, Chriſtianæ fidei myſteria edocebat; aut certè concionem habebat, ad ca-

ptum

ptum huius generis hominum, maximè accommodatam. Monſpelii præſertim, & Anicii, in urbibus, populoque frequentibus; quò ut plurimum in Miſſionum juſtitio, ſecedebat, concurſu multitudinis, templa fervebant. Nam artifices & operarii, feſtorum dierum otium in compotationibus, & ludis conterere ſoliti, jam illud ferè Patris audiendi causâ ſacris in ædibus collocabant. Neque verò ſolum Civitatis vulgus, ſed viri, fœminæquæ primariæ, Sacerdotes, & Religioſi homines, ejus ſanctimoniæ famâ exciti, ad audiendum accedebant. Et quamquam plebis dumtaxat inſtitutionem ejus omnis ſpectaret oratio, tamen adeò veris gravibuſque ſententiis, tamque appoſitè ad cujuſque ſenſum, ingeniumque dicebat, ut ex eius concionibus, omni hominum generi, vitæ ſanctioris documenta ſuppeterent. Joannes quidem Fillæus Toloſanæ Societatis Provinciæ, ea tempeſtate Præpoſitus, cùm Collegium de more inſpecturus, Amicium adveniſſet, in concione aliquando adfuit, & eo quidem pietatis ſenſu, eaque ſpiritus dulcedine, ut planè lacrymas non teneret. Atque in digreſſu, converſus ad ſocium, non miror, in-

quit,

quit, ad istum hominem tantos fieri concursus: ego certè, si privatus hîc degerem, nullam ejus seu orationem seu Catechesim omitterem, nec quatuor leucarum itineri parcerem, fas ut esset dicentem audire. Quæ Beati REGIS commendatio maximum habet pondus, maximam fidem à gravissimo præstantis viri testimonio, qui variis temporibus, plures Galliæ Provincias administravit. Hanc autem Christiano oratori laudem haud falsò fuisse collatam docebat eventus.

XXXI. Dum verba faceret, crebri audientium gemitus suspiriaque; exeuntium deinde triste silentium, vultusque humi defixi significabant, eos oratione permotos, vitæ morumque mutationem seriò meditari. Patrem alii domum è vestigio prosequebantur, alii postridiè manè adibant, recognitisque ad ejus pedes, ac declaratis totius anteactæ vitæ noxis, è vitiorum cœno penitùs emergebant. Si quem autem gravioris criminis, aut pravæ consvetudinis notâ insignem in urbe noverat, non illum quidem, ut nonnulli concionatores solent, tacito nomine perstringebat palàm, & subobscuris indiciis designabat; sed ex Christi præcepto, privatim domi conventũ,

ad

ad morum emendationem, & pœnitentiam, hortabatur. Hanc autem maximè rationem inibat, ut pro cujuſque ingenio & conditione, verborum interdum blanditias, interdum aculeos adhiberet.

Anicii, negotiator opulentus, idemque in nequitia obſirmatus, B. Regis non aliam ob cauſam peſſimè oderat, quàm quod ille vitia acrius inſectaretur, & flagitiorum occaſiones atque illecebras, à vulgi conſvetudine amoveret. Pater hominis ſibi Deoque conciliandi mirè ſolicitus, & molles ad ipſum aditus, & mollia fandi tempora captare; ſubmittere identidem, ſive ex urbe ſive ex agro, amicos emptores; coëmere ipſe ex ejus mercibus, quod ad pauperem veſtitum, & ſupellectilem uſui foret; amicè etiam de rebus conſulere, quæ ad eorum curam, alimenta, & domicilium pertinerent. Ubi ſenſit mercatorem hujuſmodi officiis capi ac deliniri, rerum Divinarum mentionem paulatim injicere. Quid juvabit, aiebat, iſtas tibi opes comparare, ſi animæ facias jacturam tuæ? & rurſum. Non piget fragiles fluxaſque merces, tot laboribus, periculiſque conquirere: & piget, propter cæleſtes divitias ac ſempiternam

feli-

felicitatem, laborem exiguum ſuſtinere? Mercator his tandem monitis, atque hortationibus emollitus, ſanctioris vitæ conſilia meditatur; & viciſſim ipſe Patris adeundi opportunum tempus explorans, in eius cubiculum aliquando tacitè obſcuréque illabitur, ad viri Sancti pedes ſubitò jacens, illius in auribus, multo fletu multiſque ſuſpiriis, totius vitæ peccata deponit. Pater hominem noxas ritè confeſſum, & in futurum probè præmonitum, jubet pœnitentiæ locò, ſemel orationem Dominicam recitare. Ille attonitus indulgentiâ, heus, inquit, quam impar eſt brevicula iſta oratio ſcelerum meorum numero, & atrocitati! Rectè ais, ſubijcit Pater, at ego quotidianâ per dies quadraginta verberatione, reliquam DEO vindici pænam, tuo nomine, libenter exolvam. Auxit ſtuporem tantum charitatis exemplum, hominemque ita permovit, ut conſtanter ex eo die, in omnibus pietatis ac vitæ Chriſtianæ officiis, DEO adjuvante, perſtiterit.

XXXII. Longè alia ratione protervum adoleſcentem, ad meliorem frugem & modeſtiam revocavit. Terebat ille frequentiùs limina nonnullarum puellarum, quarum conſcien,

ſcientiam B. JOANNES-FRANCISCUS moderabatur. Monuit eum per amicos ſedulus paſtor, ut domo iſta inpoſterum abſtineret: & cùm dicto obediens minimè fuiſſet, Pater Chriſti zelum imitatus, cùm profanos negotiatores Templo ejecit, veſanum amatorem, iſtic improvisò deprehenſum, ita cöercuit, ut ex illo die, planè nunquam, eas in ædes intulerit pedem. Ad ſolita aliquando pietatis opera, domo egreſſus, in mulierculam incidit, quæ obſcœnis impurisque verbis, cum una gregalium rixabatur. Pater ad illam ſenſim accedens, collectum, extremis digitis, lutum in os vociferantis immittit. Illa contumeliam non ferens jam irâ effervescebat, cùm viri ſancti reverentiâ, & vicinorum plauſu, convitioque deterrita, verborum obſcœnitatis veniam petiit, ſeque poſthac cautiorem in loquendo fore pollicita eſt. Scilicet viro DEI mos ille fuit, ut nequitiâ induratos mortalium animos, nunc patientiâ, nunc conſtantiâ domaret. E multis pauca retulimus. Sed quoniam, ab eo defendendæ fœminarum pudicitiæ, incidit mentio, fuit illa certè curarum ejus pars altera, ut perditas meretriculas à turpi & nefario quæſtu abduceret.

XXXIII. *Zelus in conversione mulierum perditarum.* Eam certè vim ejus orationi Divinum Numen tribuebat, ut viles animas voluptatum cœno altè infixas, uno interdùm, aut altero verbo, limo extraheret, & ad omnem honestatem, ac pudicitiam revocaret. Si quam latitare alicubi noverat, aderat illico; & rationibus, minis, precibusque commotam, demùm è latebris educebat. Monspelii quidem, in viis extra urbem publicis, ubi viatorum continentiæ insidiabantur, diligentissimè conquisitas perducebat in urbem, neque erubescebat ipse, quod de Beato Parente Ignatio memoratur, luce palàm antecedere, ac perductoris, quodammodò, munere fungi. Quin etiam venit in mentem aliquando, imitari Sanctissimum Anachoretam qui ex eremo, statis temporibus, Alexandriam accedens, Civitatis lustra, ac prostibula, divino sanè impulsu obibat, ut flagitiosis mulierculis pudorem, ac continentiam svaderet. Ita sanè B. REGIS, pio, ac sapienti socio comitatus, loca identidem famosa lustrabat, & procaces fœminas, nunc sermonis gravitate, nunc vi, atque metu, pudicam ac tutam in domũ, ex eo propudio abducebat. Nec minori constantiâ privatorum scrutabatur ædes,

ubi

ubi muliercularum genus illud foveri intelligebat. Earum in unam cùm aliquando adijsset, Dominus rem suspicatus, officii simulatione, venienti ad limen occurrit. Atque ubi Pater sui caussam accessûs exposuit, indignatus ille exclamat injuriam sibi fieri, pudicam domum esse suam, & si minus honesta foret, rei inquisitionem, ad virum Religiosum, non utique pertinere. Pater, nullis verborum officiis, aditum eblanditus, hominem manu repentè correptum, vehementi impetu, exturbat à limine: & simul domum ingressus, latibula omnia, angulosque diligenter explorat, inventamque demum prædam, hospite frustra reclamitante, ædibus abigit, & ad proxima continentiæ septa compellit.

Cùm autem probè intelligeret eiusmodi fœminas, tum ex vitiosa consvetudine, tum ex egestate facilè ad ingenium redire, eis tutum domicilium, & certa inposterum alimenta curabat. Honestis matronis, habendas alendasque, dividebat, tam propensâ omnium voluntate, ut vel earum una, modò quindecim, modò viginti, sub eodem tecto, fida & amica custodia contineret. Ipse corrogatis per ur- XXXIV.

bem pecuniis, & mulierecularum penuriam, & piarum hoſpitum charitatem, ac ſolicitudinem ſublevabat. Locum certè illis excipiendis parare cœperat, qui tamen, iis temporibus, ad exitum faſtigiumque perduci non potuit, donec, eo de cœlis opus promovente, ampliſſimæ, Monſpelii, Anikiique conſtructæ ſunt ædes [Refugium vocant,] in quibus hujuſmodi fœminæ, ſub clauſtris & ſanctimonialium virginum diſciplina cöercentur.

*Domus refugij.*

At iſtæc omnia neque tentata, neque perfecta, abſque gravi capitis diſcrimine, intelligunt ij quibus notum, furentes quid amaſii poſſint. Non ſemel conſvetas prædas agenti occurrêre nefarij amatores, nunc obverſo in pectus ſclopeto, nunc ſtricto gladio mortem minitantes, ni jam comprehenſas, abſque mora, dimitteret. Sed hominem magnæ animæ prodigum, ab hujuſmodi charitatis officiis nulla pericula deterrebant.

XV. Nocte quadam, ſubitus in Collegium rumor ex Urbe diffunditur, impuros graſſatores in iſtæc mulierum pœnitentium ſepta, impetum facere. Advolat illicò ad Collegii Rectorem; enixè contendit, ſibi ut liceat miſello gregi opitulari. Dolen-

lendum, ait, præclarum opus multo labore excitatum, nequitiâ paucorum hominum, una nocte deleri. Rector primùm abnuere, periculum exaggerare; deinde ratus furentium proterviam, viri Sancti reverentiâ, comprimendam; ac sibi fortè vitio culpæque vertendum, si cœtus ille disturbaretur, DEO ut propitio, exiret, tandem indulsit. Ille pallium raptim indutus ad januam properat, & uni amicorum, qui fortè accurrerat, vale, inquit, Pater charissime, & si quid humanitus mihi contigerit, cura, amabo, quadraginta aureos, quos apud Patrem rei domesticæ curatorem deposui, piorum hominum liberalitate collectos, his meis Pœnitentibus erogandos. Domo egressus, vix aliquantùm viæ processerat, cum ei nuntiatur impuros ganeones, honestorum civium concursu, & clamore absterritos, inter noctis tenebras, variis intineribus, recessisse. Redeuntem amicus ille joco excepit; equidem, ait, in conflictu periturum te augurabaris, qui testamentum ritè conscripseras. Optaverat nimirum, sanguinem, quem pro religione non liceat, pro tuenda saltèm castitate profundere.

Neque sanè eo loco, nec aliàs sæpè, XXXVI.

defuit ipſe occaſioni, ſed ipſi occaſio defuit. Procaces quidem adoleſcentes B. Regis, ſive quòd ſuos ab illis amores abſtraxiſſet, ſive aliam ob cauſam, ſubirati, eum plagis & verberibus, malè mulctare conſtituunt Atque ut res tutò perageretur, fuſtibus ac pugionibus armati in Collegium veniunt, ut dum alii Patrem cæderent, alii occupato aditu, omne tum externorum, tum domeſticorum auxilium prohiberent. Nec mora, è cubiculo ad januam evocant; & ille ratus homines, ad peccata confitenda, accedere, janitorem monet, ut eos in Templum intromittat, ſe quantocyus affuturum, Vergebat in veſperum dies, & Templum de more præcluſum, atque orantibus vacuum, hominibus ad omne facinus paratis, idoneam ſanè præbebat perpetrandi ſceleris facultatem. Pater, ubi deſcendit, ex ipſo ſacrarii limine, ſtantes in extrema Templi parte ac muſſitantes conſpicatus, fraudem planè ſubodoratus eſt; nec tamen animo concidit, aut retulit pedem. Adorato, de genu, Sacramento, ad eos rectà contendit, & ſingulari vultûs modeſtiâ, ac verborum comitate, honorificæ ſalutationis cauſam exquirit. Illi, ad vi-

ri Sancti conſpectum veluti deprehenſi obſtupeſcere, & protinus odium omne ferociamque deponere. Unus cæteris confidentior, vi quidem ſibi & manu temperans, at verbis aſperioribus in Patrem invectus, zeli imprudentiam, & concionum acerbitatem accuſat. Pater, ubi admirabili ſecuritate audiit expoſtulationem, mores eorum viciſſim minùs pudicos, ac moderatos, tam acri & vehementi oratione perſtrinxit, ut illi protinus animo ac voluntate mutati, in ejus ſe poteſtate fore, atque ad eluendas, ſalutari confeſſione, animæ maculas, certiſſime redituros pollicerentur. Nec promiſſis defuit fides. Siquidem duo ex illis poſtridie manè convenêre Patrem, & peccata apud illum ritè confeſſi, oblatam, juvenili licentiâ, populo offenſionem, unâ cum anteactæ vitæ maculis abſterſêre,

Huic ſtudio juvandi proximorũ animas, corporum cura ſuccedebat. Viſuntur paſſim Galliarum in urbibus, hoſpitales pauperum domus; aliæ excipiendis mendicis valentibus, ægrotis aliæ, aliæ alendis pueris ac puellis egentibus deſtinatæ. Verùm non eâdem providentiâ juvantur ij, quos aut morbus ab opificio exer- XXXVII *Cura pauperum.*

 cendo

cendo prohibet, aut egestatis pudor domi continet, omni ope ac subsidio destitutos. Erga illos B. JOANNES-FRANCISCUS præcipuam solicitudinem, ac misericordiam adhibebat, eâ ubique plebis gratulatione, ut vulgò Pater pauperum diceretur. Inprimis cætum ex opulentis, & optimatibus fœminis conscribebat, [ matronas jam misericordiæ vocant ] quæ, per alternas hebdomadas, sortitæ vices, egentium domos invisebant; & sanis quidem cibum ac potionem, ægris paratum domi jusculum sedulò ministrabant. Ipse domi officinam instruxerat suis distinctam loculamentis, ubi emendicatas reponebat vestes, stragula, lineamque ac cannabinam supellectilem, quam deinde, pro singulorum egestate, petentibus dividebat. Neque verò erubescebat interdum hujusmodi exuvias, deficientibus bajulis, aut pallio tectas, aut palàm humeris sublatas, modò ad privatas domos, modò ad Xenodochia deferre.

Venerat aliquando Fontem-coopertum, cognatorum rogatu; & mos erat diebus singulis, domesticis negotiis perfuncto, è circulo se subducere, ut jacentes sive privatis in ædibus, seu publico in hospitio, paupe-

pauperes & juvaret eleemosinis, & amico colloquio recrearet. Stramineas quin etiam culcitras, & culmorum fasciculos ostiatim corrogatos, luce palàm, in eas domos, suis ipse humeris convehebat. Eo in oppido, per id tempus, Ambræa legio stativa habebat; & Pater ad instituta charitatis officia quotidie rediens, in milites otiantes ac ludibundos sæpius incidebat. Illi virum Religiosum, palearum manipulis, onustum conspicati, militari passim licentiâ, irrisione insectabantur & sibilis. Quorum tamen convitio, aut cognatorum precibus, adduci non potuit, ut ab incepto desisteret.

Nec minùs strenuè negotia pauperum, XXXVIII. quàm corpora curabat. Si quando tenuiores opifices, viduæ, ac pupilli, aut suâ ipsorum inopiâ, aut divitum gratiâ, potentiâque oppressi, judicum aditu ac tribunalibus excluderentur; confugiebant ad Beatum Regis, eóque apud illos Patrono, & interprete utebantur. Hac stipatus turbâ, primò quidem ministris forensibus supplex, eorum operam, absque ulla mercede, misellis hominibus conducebat. Tum judicum subsellia obibat ipse; aut impetrata, domi, commoda admissione,

 ne,

ne, chariſſimorum clientum cauſam, & ſupplicibus commendabat verbis, & exquiſitis rationibus tuebatur. Ac ſi quis fortè obiiceret, litium illam ac rerum civilium procurationem, à noſtro vitæ inſtituto alienam eſſe; non hominum utique, aiebat ille, ſed DEI Patris pauperum hanc eſſe cauſam; nec civilia planè, ſed ſacra videri hujuſmodi negotia, cùm, ex veteri ſapientum effato, ſit res ſacra miſer.

*Cura detentorum carcere.*

Eadem illis qui carcere detinebantur, exhibebat charitatis officia. Patronorum ſcilicèt præſidio deſtitutis aderat ipſe, conſilio, operâ, favore; neque à judicum limine recedebat interpellator aſſiduus, donec eos vinculis exemiſſet. Ubi verò avaritia creditorum obſtaret, ut ſua illa charitas nemini fraudi eſſet corrogatis per urbem eleemoſinis, eorum nomina diſſolvebat. Cùm autem miſerorum libertatem impetrare non liceret, quod unum ſupererat, amicis piiſque ſermonibus, & ſacramentorum uſu, eorum levabat ærumnas. In ipſa etiam reorum ergaſtula, ſi u & pædore horrida, nauſeante licet ſtomacho, animosè ingreſſus, mœrentes afflictoſque ad patientiam hortabatur, &

longa

longa jam calamitate mollitos, Pœnitentiæ Sacramento expiabat.

In hujuſmodi charitatis officiis plures jam annos, ſingulari conſtantia, partim in urbibus, partim rure conſumpſerat; cùm anno hujus ſæculi quadrageſimo, appetente hyeme, ad montanas miſſiones de more profectus conſvetis miniſteriis nonnullos pagos excoluit. Cumque ſtationem, circa Chriſti natalitia, mutaturus eſſet, ſubitò venit in mentem, nec ſine DEI numine, Anicium, vicinam in urbem excurreret. Ex itinere divertit ad prædium, in quo noſtri die illa à ſtudiis feriati tantiſper animum relaxabant. Ad ejus conſpectum exilire gaudio ſocii, gratulari quòd per feſtos dies proximos, eius conſvetudine fruituri ſint. Atqui homini, ſubijcit ille, miſſionis procuratione implicato, ea maximè tempeſtate, otioſo eſſe non licet: & mihi, vicinis in montibus, mei ruſtici præſtolantur, diem Chriſti natalem celebraturi; quos grave piaculum fuerit, eo tempore, divini verbi pabulo, & ſacrorum myſteriorum communione fraudari. Interim cùm unum ex patribus ſeduxiſſet, tibi verò, inquit, amicorum chariſſime, hujus mei adventûs XXXIX.

cauſam

*Mortis præsensio.* causam libenter aperiam. Præsagit animus, diem mihi vitæ ultimum imminere, ad quem ut meritè compararem, optavi dicta omnia, facta & cogitata apud te, salutari confessione, quàm accuratissimè retractare. Ille seu metum, ut tunc quidem existimabat, seu intempestivam suspitionem abstergere conatus, cùm perstantem in sententia videret, suam demùm operam amicissimè pollicetur. Itaque ut domi incognitus lateret, & mutua salutationum officia declinaret, sub vesperum, urbem ingressus, explorandis animæ latebris, & rationibus cum summo judice subducendis, triduum integrum vacavit. Quo elapso, ei, pœnitentiæ ministrum delegerat, Sacerdoti vel minimas totius vitæ noxas, tanto sensu pietatis exposuit, ut facilè intelligeretur, eum jam à mortali vita discessum, in cœlestem patriam meditari.

XL. Sub confessionem, ab eodem Sacerdote interrogatus in quam diem, reditum ad missiones distinasset, respondit, se die posterâ discessurum. Hortatur Sacerdos, ut vel opperiatur; vel redeat ad proximam votorum renovationem, diem Societati solennem, cum aliis, celebraturus. Cui

Pater,

Pater, tu quidem amice mones, verùm Magister abnuit: & ille ratus Collegii Rectorem designari. Atqui, subjicit, certum habeo, si remanseris, rem Patri Rectori pergratam facturum te, quod ipse mihi significavit. Magister, inquam, abnuit, reponit B. JOANNES-FRANCISCUS. Et meus quidem socius præstò erit ad condictam diem, me autem adesse Magister vetat. Quod cùm iterum ac tertiò affirmasset, res tunc quidem audienti captu difficilis videbatur; sed virum sanctum divino afflatum numine, rei postmodum exitus indicavit. Distabat locus ad stationem designatus duorum omninò dierum itinere, & peragrandi erant montes rigentes glacie, nivibusque ac pruinis obstructi. Prima die, brumam asperrimam, ventosque perpessus, ad rustica tuguriola, imminente jam nocte, pervenit; ubi habitationis exclusus angustiis, in maceriam divertit malè tectam ac ruinosam, nimbisque latè, & frigoribus perviam. Hìc dum in fœno & stramine jacens, recurrentem, eo tempore, Christi in stabulo nascentis, memoriam repetit, loci duritie malè acceptus, gravi laterum dolore corripitur. Nec prohibuit morbi acerbitas,

*Supremus morbus.*

tas,

tas, quominus postridie mane, ad constitutum missioni locum, pedibus iter intenderet.

XLI. *Mors.* In eo montium Vixariensium tractu, qui ad Viennensem Galliarum Diœcesim pertinet, Lalovesium pagus est, nuper in ditioneComitum Turnonensium; sed translatum recens, dum hæc scribimus, hujus, & vicinorùm locorum dominium, ad Comitem Sansylvestrum, Regiorum Castrorum Præfectum, rebus, hoc & superiori anno, in Sabaudia & Pedemonte, præclarè, ac fortiter gestis insignem. Huc cùm advenisset, B. JOANNES-FRANCISCUS in pervigilio Christi Natalis, quamquam jam morbo tentari cæperat, audiendis tamen confessionibus, noctem integram, vacavit; ac ter, insequenti die, pro concione dixit ad populum.

Ex ea corporis animique contentione, ingravescente pleuritide, diem sibi ultimum instare sensit, temploque tandem, sub vesperum, se retrahi passus in lectulo collocatur. Per totos sex dies, acerrimis doloribus conflictatus, plura dedit pietatis ac patientiæ documenta. Conjectis sæpius in Christum è Cruce pendentem oculis, ejus exemplo semet ad toleran-

lerantiam excitabat; cum illo dolores consociabat suos; ac gratias habebat maximas, quòd obscuro tenuique in pago agrestes inter sibi carissimos, mortem obire contingeret.

His virtutibus expolitus animus mortali excessit ê vita, anno post Virginis partum millesimo, sexcentesimo, quadragesimo; ætatis quadragesimo tertio.

Quanta autem foret, iis in locis, de ejus sanctitate opinio, ante etiam quàm DEUS illam tot miraculis illustraret, conjecturam facere licet ex summa contentione, quâ inter domesticos, exterosque certatum est, ut morientis exuvias occuparent. Talaris toga Parocho cessit; pileum matrona nobilis impetravit; reliquæ vestes, aliæ aliis distributæ. Quæ deinde plures in partes ac frusta divisæ, & enixe poscentibus dono datæ, varia in loca dispersæ sunt; earumque usu, DEUS optimus, plurima, quæ inferiùs dicentur, beneficia, piis clientibus contulit.

Mox in deliberationem vocatum est, an cadaver eo ipso in pago humandum foret, aut Turnonem, vel Anicium, in vicina Societatis Collegia deferendum; vi-

cit

eſt demum eorum ſententia, qui retinendum exiſtimabant, rati cariſſimum pignus, divino conſilio, apud ſe depoſitum, non eſſe facile dimittendum. Et brevi quidem conſtare cœpit, DEUM, illuſtrandæ famuli ſanctimoniæ, locum illum delegiſſe, multiplici rerum mirabilium effectione, quarum famâ, exciti è finitimis Provinciis populi, maximo concurſu, ad ejus tumulum confluunt.

# VITA
# B. JOANNIS-FRANCISCI REGIS.

(M.)

## *LIBER SECUNDUS.*

## VIRTUTES.

QUAMVIS Christiana sanctitas, è virtutum omnium cumulo efflorescat, in singulis tamen viris Sanctis, una aliqua, præter cæteras, eminet, quâ velut peculiari notâ ac Symbolo, alii ab aliis secernuntur. Et

*I. Humilitas, & sui despicientia.*

Et insignis quidem fuit in B. Regis, tum sui, tum honoris humani despicientia: Primùm enim de suis rebus tam demissè, tamque humiliter sentiebat, ut se Professorum gradu, ac Sacerdotum ordine prorsus indignum existimaret. Unum certè deprecatus est impetrata à studiis Theologicis, matura vacatione: alterum nonnisi ex singulari studio Divinam gratiam & proximorum salutem promovendi, post multam deliberationem admisit. Ex eodem suimet despiciendi affectu, quamquam ingenio & acumine valeret plurimùm, rejectis splendidioribus ministeriis, rusticanæ genti in pagis; in urbibus, paupercułæ plebi erudiendæ se totum addixit. Ad hujusmodi hominum mores colloquium congressumque; & ad eorum captum orationem accommodabat suam. Si quando tamen amicorum rogatu, ad celebriorem cœtum verba facere cogeretur, dicebat ea rerum ubertate, ea concinnitate sermonis, ut universæ concionis gratulationem reportaret ac plausum. Ex quo intelligebatur eum neque ex ingenii, neqve ex eruditionis inopia, sed ex humanæ laudis contemptu, & imperitæ

multi-

multitudinis juvandæ ſtudio, ad ejus ſenſum, orationem ſtylumque demittere.

Cùmque ea laus, quæ ex ſanctitatis fama comparatur, animum ſvaviùs titillare ac ſollicitare ſoleat; quoties virtutis cujuſpiam præſtabat opus, ſedulò conſpectum hominum lucemque vitabat. Inprimis, dum in Collegiis verſaretur, obſervabant noſtri ſolitum illum, admirabili ſolertiâ, virtutis actiones omnes, & ſanctitatis indicia, vulgari uſu vitæ communis, diſſimulanter obtegere. Longiora orandi ſpatia, corporiſque vexationem, noctis ſilentio & tenebris occultabat; victûſque duritiem eâ excuſabat ratione, quòd ſtomachus ruſticorum cibis, ac parſimoniæ aſſvetus, paulò lautiora fercula faſtidiret. Certè adeò non gloriam & laudes hominum amabat, ut eorum convitia ac vituperationem ſtudiosè conſectaretur. II.

Si quando in familiari amicorum congreſſu, dicteriis peteretur, mos illi perpetuus fuit ſilentium tenere, ac leni riſu hujuſmodi jocos excipere, reipsâ ſignificans, plus ſe hoc qualicumque ſui contemptu atque ludibrio, quàm alios, acutis ſalibus & facetiis, delectari. Die quâ- III.

dam, hyeme plurimùm sæviente, Collegii Rectorem adiit, facultatem rogaturus palàm se in triclinio verberandi. Rector ardentem animi impetum, tali tempestate, demiratus; fas esto, inquit, subridendo, modò domesticâ indutus togâ te cædas. Pater egregiam nactus occasionem risum in se, ac ludibrium concitandi, probè togatus, flagelloque instructus prodit in publicum; & coràm abjectus ingenua, togam strenuè verberat: ratus videlicet minori emolumento corpus, quàm superbiam edomari.

IV. *Patientia in contumeliis perferendis.*

Jam verò qui tam sollicitè sui demittendi occasiones undique conquirebat, pronum est existimare, ultro oblatas quàm libenter, cupidéque arriperet. Monita & reprehensiones in beneficii numerabat loco. Narrabat unus è nostris, cùm junior olim, sub tyrocinii finem, B. JOANNEM-FRANCISCUM in Missionibus comitaretur, ab illo rogatum se, ut observaret diligenter, quæ in concione reprehendenda viderentur. Et ille, seu novitiorum more, optima quæque ad censuram revocantium; sive quod parum idoneus rerum æstimator, in rusticana & plabeiâ concione, urbium elegantiam requireret; aggre-

aggreditur totam orationem, acri planè animadversione perstringere. Ubi domū ventum est, ex condicto Patrem adit, singulaque oratoris vitia, fusè & accuratè persequitur. Rerum exilitatem, gestum, pronuntiationem, argumenta, redarguit. Cùm interim Pater demissis modestè oculis, vultumque levi rubore suffusus, ea docilitate monitorem audiret, qua ipse suum novitiorum Magistrum docentem ac monentem audiisset. Ubi verò aliquantò post, adolescens se collegit; & confidentiam suam, & Patris patientiam demiratus, ad eum redit veniam rogaturus, quòd nuper tam inconsideratè, officii & reverentiæ metas excesserit. Ille excusationem joco excipiens, næ tu, inquit, amicitiæ parum tenax, quem citò pœniteat, præclarum in me beneficium contulisse.

Hanc enim frangendæ superbiæ, inprimis idoneam sibi perpetuò legem, edixit, ut à se dicta factaque, quamcumque in partem acciperentur, nunquam excusaret; nec quibusuis criminationibus, & calumniis appetitus causam tueretur suam. Quod sanè quàm arduum sit, conjicere licet ex innato singulis mortalibus,

famæ ac laudis ſtudio, quò fit, ut optimus quisque exortam ſeu culpæ, ſeu erroris ſuſpitionem conetur illicò, aliqua excuſatione, depellere.

VI. Cùm autem vituperationis genus illud, quod à viris ſapientiâ atque authoritate præſtantibus adhibetur, plus afferre ſoleat pudoris ac verecundiæ, moderatorum ille ſuorum reprehenſiones majori vorabat alacritate. Sanè cura illa perditas mulierculas, ad meliorem frugem traducendi, anxios ſollicitosque habebat nè hominis fervor, obtrectatorum ſermonibus, materiam præberet. Quamobrem ſi quando illas, urbe totâ, diligentiùs conquiſiſſet; ſi ad rumorem perfracti clauſtri domo velociùs proſiliret; ſi fœminarum patroni cognatique, adverſus illum conclamarent; turbarum clamorumque pertæſi moderatores, palàm & privatim, verbis aſperioribus hominem objurgabant.

VII. Hujuſmodi verò objurgationes excipiebat ille, tantâ animi moderatione & æquitate, ut nonnullis viſum ſit, domeſticas iſtas, ſeu difficultates, ſeu vexationes, originem fuiſſe certiſſimam præclaræ ſanctimoniæ, quam in eo jam ſuſpicimus, ac reveremur. Equidem domeſticis his ærumnis

mnis jactato nonnunquam venit in mentem mutare ſedes, quod ipſe Provincialis annuebat, & in alia Societatis domicilia migrare, ubi eandem haberet laborum ſegetem, & æquiores eorum æſtimatores. Verùm, dum hæc apud ſe incertus animi cogitat; ſuppetet alibi, inquit, eadem laborum, at non eadem patientiæ ſeges. Cujus proinde nè ſe fraudaret meritò, placuit in eodem domicilio, quàm poſſet diutiſſimè, commorari. Ex quo intelligitur DEUM, Sanctorum operâ, Sanctos regere ac moderari, ut iſti illorum monitis cautiores, & reprepenſionibus ſanctiores evadant.

Ad privatas iſtas jactationes externorum convitia accedebant. Cùm enim flagitioſis hominibus obſcænos amores, & vitiorum illecebras ſubduceret, illi dolore efferati, virum optimum probris omnibus, maledictiſque vexabant. Frequenter etiam evenit, ut domi conventum, vel occurrentem in via, ſibilis, atrocibuſque verborum aculeis lacerarent, ponentem in lucro, quod hanc qualemcunque contumeliam pati, Chriſti cauſâ contigiſſet.

Juvabat ad iſtam ſui, honoriſque huma- VIII.

*Pauper-tas.* ni despicientiam, non dispar mortalium rerum opumque contemptus qui, cùm ad viros omnes Religiosos pertineat, insigniori tamen notâ, ex B. JOANNIS-FRANCISCI moribus, totoque habitu elucebat. Cùm inter inopes opifices, & rusticos assiduè versaretur, ex eorum consvetudine, paupertatis studium hauriebat. Cultus erat ei, victusque durissimus: obsoletis vestibus, & quæ domi forent maximè detritæ, libenter induebatur. Ruri emendicato victitabat cibo, eoque tenui planè agrestique. Mos erat, peractis in Templo sacris exercitationibus, ad unum aliquem paganorum divertere; & si quidem in pauperem incidebat casam, cibario pane dumtaxat reficiebat sese; ubi paulò opulentiorem offenderet, ad panem, lactis haustû, & fructus pauculos adhibebat. Foris quippe, ovis & carnibus; vino, domi & foris, sibi perpetuò interdixit.

IX. *Mortificatio.* Et quoniam austerioris victûs incidit mentio, juvat alias corporis vexationes adiungere. Quotidiani Missionum labores; itinerum molestiæ per montium asperitates, & densos plerumque nivium cumulos; assidua in concionibus, & audiendis confessionibus opera, corpus sen-

sim

ſim conficiebant. Cruciabat illud nihilominus, pœnis aliis, crebriſque verberibus quibus in ſe ità ſæviebat ut ex inflictis verberibus vim magnam interdum cruoris eliceret. Rem exploravit unus è domeſticis adjutoribus, qui cùm ægrotanti miniſtraret, hominis humeros, ſubitò horrore perfuſus, livore & ſanie deformatos aſpexit. Diurnis licèt laboribus fatigatus, non niſi horas ferè tres, nudâ tabulâ, aut ſcamno innixus quieti tribuebat. Cùmque gravior neceſſitas cogeret lecto recumbere, calceatus ac veſtitus dormiebat; quò magis expeditus accurreret, ſi fortè, ut ſæpè eveniebat, ad juvandos ægros morti proximos, noctu evocaretur.

Vt autem perpetuum ſui demittendi ſtudium, animum DEO ſubijciebat, ita ingens ille edomandæ carnis ardor, corpus animo præſtabat obnoxium. Quamvis enim naturâ fervidus eſſet, ac ſanguine plurimùm abundaret, animi tamen corporiſque motus omnes, ſic habebat in poteſtate, ut nullam planè ſentiret effrænatæ libidinis tyrannidem, nulli eum carnis ſtimuli vellicarent. Quo ſingulari Divinæ gratiæ beneficio ornatum ſe, ingenuè amicorum uni aliquando confeſſus eſt. X. *Caſtitas.*

Tantus erat amor castitatis, ut non solùm eam coleret ipse diligenter, sed studeret simul aliis afflare ac svadere. Qua in re mirificè industrium, atque experientissimum fuisse, testantur qui laborum ejus comites, aut spectatores extiterunt. Fœminas præsertim pravâ peccandi consvetudine irretitas, eâ sermonis modò comitate, modò gravitate adoriebatur, ut earum quàm plures, tenacibus laqueis se quantocyùs expedirent & pudicitiæ septis abditæ, in propositi constantia sanctissimè permanerent. Et verò fatebantur earum nonnullæ, expiatis apud ipsum semel aut iterum salutari confessione, peccatis, tantum illicò vitæ intemperantis odium, fastidiumque animo subijsse, ut se deinceps ad pristina flagitia, neque consvetudinis vis, neque occasio præsens, neque ulla voluptatum blandimenta retraxerint. Narrabat Vicarius Episcopi Vivariensis, cum B. Joannes-Franciscus, unam aliquam in iis regionibus famosam, multâ solicitudine conaretur à nefario quæstu abducere, monitum abs se, nè tempus & operam perderet, in frangenda mulieris pervicatiâ, quæ ob corroboratam vestutate libidinem, parum disciplinæ idonea videretur, aut certè brevi reditura ad ingenium

esset. At ille, næ tu, inquit, ad solam naturæ imbecillitatem attendis, & nullo numero habes DEI juvantis auxilium, quod obfirmatum, ut spero, illius animum mollìet, & nutantem, in posterum, cöercebit, ac continebit à lapsu. Vaticinio fidem conciliavit eventus: siquidem mulier illa, cum hæc vicarius scriberet, Avenione, intra pœnitentiæ claustra, in proposito, susceptoque castitatis consilio, duodecimum jam annum, cum laude perseverabat.

Hanc porrò vim non solùm DEUS vivi ac spirantis sermonibus, sed mortui quoque nomini, ac cineribus tribuebat. Ex quo enim excessit è vivis, præsentem Patroni, eo in genere, clientes experti sunt opem. Fuêre qui jurati affirmarent, inhonestarum se pulsu imaginum, & obscœnæ voluptatis stimulis incitatos, sensisse illicò deleri species illas, ac libidinis sensum omnem extingui, quoties subiret animum viri Sancti recordatio, aut eius nomen appellarent.

Ornabat castimoniam corporis, eximia morum ac mentis integritas. Viri certè sapientiâ ac Religione præstantes, qui, per annos plures, eo familiariter usi sunt, te- XI. *Innocentia vitæ.*

stan-

ſtantur, in ejus dictis & factis nihil unquam obſervatum abs ſe, quod peccati cujuſpiam ſpeciem haberet. Alii qui hominem jam à puero noverant, ſcripto tradiderunt, ſibi quidem perſvaſum eſſe, nunquam illum ab ea, quæ Chriſtianis infantibus in Baptiſmo confertur, gratiâ ac ſanctitate excidiſſe.

Excolebat illam morum Innocentiam, quotidiana cuiuslibet errati confeſſione; caſtitatem, vigili intentâque ſenſuum cuſtodiâ, tuebatur. Summâ gravitate, vultuſque modeſtiâ, cum mulierculis illis agebat: diceres eum fœminas principes alloqui; & illæ viciſſim magiſtrum optimum, velut Angelum verebantur. Si quando ad eas veniret, de earum moribus aut controverſiis cogniturus, componebant ſe illico ad omnem honeſtatem, ac verecundiam. Rixas autem & jurgia inter hujuſmodi fœminas perpetuò emergentia, quæ viri graves, matronæque primariæ ſedare non poſſent, ipſe uno verbo, unoque nutu, facilè compeſcebat.

XII. *Obedientia.* Dum corporis, animique motus omnes hac ratione DEO ſubijceret, obedientem pariter, ſubjectumque eorum imperioſe præbebat, quos DEUS ſibi vicarios, ipſe

præſu-

præsides designasset. Divo quidem JGNATIO, nostri vitæ instituti Autori, sic obtemperabat; ut qui rem, de industria, propiùs explorarunt, fidem faciant, eum nunquam aut Societatis disciplinam, aut ullam ex legibus, ab optimo Parente traditis, violasse.

Duæ, præter cæteras, maximè juvant ad fovenda, inter juniores, literarum studia, & Religiosæ domûs tranquillitatem. Altera, quæ usum lingvæ latinæ, iis qui literis vacant; altera, quæ statutis temporibus, silentium omnibus imperat. Utraque sanè difficilis, ob lubricam linguæ celeritatem; utramque tamen ille accuratè servabat. Extra consveta familiaris colloquii tempora, sanguinem ex eo faciliùs elicuisses quàm verbum. Latino verò sermone, literatos è nostris omnes, juniores pariter & antiquiores, seposita verecundiâ, alloquebatur; eâ sanè Religione, ut si fortè domum ex urbe, aut ex agro rediret, cæptam, idiomate Gallico, narrationem, ubi pedem limini intulisset, latinè prosequeretur.

Neque minori studio, vivæ ac spiranti regulæ, hoc est, moderatorum voci, quàm legibus à majoribus, scripto traditis, pare-

parebat. Cumque in iis potiſſimùm quæ ad DEI obſequium, cultumque ſpectare videntur, homines pii ac Religioſi, ſint propoſiti tenaciores, in illis, etiam rebus, quamquam ſibi maximè cordi forent, B. JOANNES-FRANCISCUS ſuum deponebat ſenſum, eumque planè, ad moderatorum voluntatem, atque arbitrium commutabat. Non ferebatur cœco impetu, ad ſalutem animarum procurandam, ſed charitatem illam ſuam ex majorum nutu, & obedientiæ legibus temperabat. In ipſo ſacrarum occupationum æſtu, dum confeſſionibus audiendis maximè intentus eſſet, ab uno aliquo, è domeſticis adminiſtris evocatus, parebat illico, ſeque, interciſo opere, vocanti, ſinè mora ſiſtebat. Neque verò ad breve ſolùm tempus, ſed quàmdiutiſſimè ſuis Rectoribus videretur, ingens illud juvandi proximi ſtudium, intra obedientiæ terminos continebat.

XIII. Cùm excollendæ, de more, plebi, in miſſionibus operam daret, uberemque laborum perciperet fructum, ad docendam grammaticam ſubito revocatus; neque ætatis, neque majoris fructûs excuſatione, humile munus ſubterfugit; ſed alacri prõptoque animo, per unum & alterum annum,

num, quæ ſibi obtigerat, ſpartam diligenter ornavit. In literario equidem pulvere, latitanti, offerebat ſe identidem utilitas populorum, & cœleſtis meſſis ubertas; at ille obedientiâ ſupplebat charitatis officia, monitus hanc proximorum ſalutis curam paucorum puerorum educatione, & ſcholæ unius anguſtiis definire.

Arduis ſanè illis imperiis movebatur interdum, verùm ſolitâ alacritate, impedimenta, ac difficultates ſuperabat omnes. Meretriculas pœnitentes ſupra viginti, unum in locum congregatas, piarum fœminarum cuſtodiâ continebat. Ipſe, diebus ſingulis, in earum alimenta, eleemoſynas oſtiatim, civiumque ſubſidia, conquirebat. Gravior ea procuratio moderatoribus viſa eſt. Quare jubent illam, abſque mora, deponi; niſi ſit qui in ſumptus quotidianos, certos ac ſtabiles reditus conferat. Perculit hominem acerba ſignificatio, metuentem ſanè, ne opus à ſe, tantâ ſollicitudine, ac labore, perfectum, ſuo jam auxilio deſtitutum, brevi dilaberetur, atque in nihilum interiret. Paruit nihilominùs, fore ratus, ut DEUS ipſe, qui opus pulcherrimum excitaſſet,

tuere-

tueretur illud, ac promoveret.

XIV. *Animi magnitudo.* Equidem obedientiæ genus illud, ſingularem animi magnitudinem requirebat; quam ille præclarè, aliis quoque in rebus, exhibuit. Vix pium aliquod opus animo deſtinarat, cùm magna ſubito incommoda, & difficultates undique emergebant, quæ tamen, ingens illud divinæ gloriæ ſtudium, adeò non retardabant, ut etiam magis acuerent, & incitarent. Cùm virginem periclitantem in tuto collocaret, aut pœnitentem meretriculam, pudicitiæ ſeptis includeret, furere nefarii amatores; jactare minas; noctu evocatum, ad juvandos ægrotos, ex inſidiis adoriri; de die, ſclopetum pectori, & pugionem obijcere. At ille DEO fretus, minas ac pericula ſpernebat omnia, & in ſuſceptum opus erectò, fortique animo pergebat incumbere.

Nec foris dumtaxat, ſed domi quoque, procella fervebat. Has enim adverſus illum tragædias, non modò homines improbi concitabant, ſed viri etiam probi ac Religioſi, quibus, tantus hic ad ſalutem proximorum mentis ardor minime probabatur. Angebatur ſcilicèt, intimis ſenſibus, quod ſuis conſiliis impedimenta & moras inijcerent, qui fovere illa, ac pro-

movere debuissent: angores tamen illos atq; molestias, eâdem constantiâ eodemque animi robore comprimebat, quo externorum vitiis, atque odiis obsistebat.

In familiari certè cum uno amicorum colloquio, ingenuè confessus est, in hac piorum operum procuratione, illud sibi molestissimum difficillumque accidere, quòd simul esset contra virtutes, & contra vitia contendendum. Cùm enim suis conatibus, & viri probi falsis rumoribus, aut pietatis specie ducti; & ipsi moderatores interdum obstarent, quid faceret homo apprimè Religiosus, qui virtutes sibi charissimas adversarias haberet. Continebat nimirũ apud se, molestiam, ex adversariorum pietate atque authoritate profectam; & charitatis officia, obedientiæ nutu atque imperio temperabat.

*XV. Charitas erga proximum.*

Addebat hos animos, hanc in rebus adversis constantiam, eximia erga proximum charitas, pro quo non modò optabat hujusmodi jactationes, & probra perferre, sed sanguinem quoque profundere. Et quò animarum dignitatem ritè perspexit, nullis omnino parcebat laboribus, ut eas peccati, ac mali Dæmonis servitute ereptas, suo conditori simul ac servatori assereret.

Eam

*Laboriosa.* Eam obrem, Missionibus rusticanis se totum addixit; in quibus misellæ plebi juvandæ ac erudiendæ, eâ corporis animique contentione operam dabat, ut sui, rerumque suarum oblitus, ad ejus salutem, cogitationes omnes curasque converteret. Diem solidum perseverabat in Templo, sinè cibo ac potu, concionibus bis terve habendis, & confessionibus audiendis intentus. Quod cùm sæpiùs abservasset matrona nobilis, eum, sub vesperam, Pœnitentium turbâ septum aliquando convenit; ac veste comiter apprehensa siccine, inquit, Pater optime, te labore atque inedia conficis; neque tu animadvertis imminere jam noctem, neque homines isti, hac horâ te esse jeiunum? Cui ille, bona venia, ô mater! vides me vehementer occupatum, & sanè ita occupatum, ut non modò cibi aut potionis cura me nulla sollicitarit, sed ne ipsa quidem prandij, aut cœnæ cogitatio pulsaverit animum. In Collegiis Societatis, ad multam diem, confitentes audiebat, nec templo excedebat unquam, quamdiu Pœnitentium copia suppeteret, nisi eum moderatores evocarent, aut daretur signum ad Catechesim, quam in uno aliquo urbis Templo,

diebus festis, ad plebem habebat. In concionem autem impransus, ut plurimũ, ascendebat; & si fortè cibi aliquid sumere cogeretur, uno aut altero pomo, & levi frigidæ haustu prandebat.

XVI. Humil.

Atque hoc juvandi proximi studium ex eo potissimùm commendatur, quòd omne mortalium genus, infimæ præsertim conditionis, ac fortunæ homines complecteretur; instituto equidem ac ratione, longè eorum dissimilis, qui viris; fæminisque primariis excolendis intenti, tenuiores procul à se repellunt; seu quòd ùt ajunt, asperiorem istorum sermonem ægrè percipiant; seu quòd proba aliorum institutio ad plebis exemplum maximè valeat, & ex eorum moribus plura commoda, vel detrimenta, in Christianã rempublicã manare possint. Quo errore nullus propemodùm gravior, nec muneri ad salutem animorum divinitus comparato, ulla certè capitalior pestis. Neque enim est illa germana charitas, sed motus animi se ipsum, & rerum creatarum speciem, ac pompam amantis. At Beatus Joannes-Franciscus inopem plebeculam, ad Sacramentum Pœnitentiæ non modò admittebat perlibenter, sed ultrò alliciebat. Cùm enim ex voluntariis civium

eleemosinis, ut antea dixi, rebus ad victũ cultumque pauperum necessariis, instructam domi penum haberet, eorum nemini stipem erogabat, nisi priùs confitentem audiisset, aut eâ saltèm lege, ut quamprimùm ad se, peccata expiaturus accederet. Ex quo fiebat, ut egentium & mendicorum grege stipatus, continenter, tum in concione, tum in pœnitentiæ subsellio appareret.

XVII. *Fervens.* Acuebat charitatem mentis ardor incredibilis, qui in vultu etiam emicabat. Nuntiatum est aliquando, plebeium hominem gravissimè ægrotare, ac nisi quantocyùs accurratur, periculum esse, ne Sacramentorum communione, & Sacerdotis auxilio orbatus intereat. Advolat confestim ad Rectoris cubiculum; docet quibus in angustiis versetur ægrotus; orat, exire ut liceat, ac morienti adesse. Rector, quòd tunc fortè domi, ejus operâ egeret, aut Sacerdotum alium destinaret, exeundi veniam abnuit. Ille quamquam modestè responsum excipiens, animo tamen vehementer commoveri: dolere vicem hominis, eo temporis ac rerum articulo, ope & solatio destituti; de ejus salute plurimùm angi ac cruciari, & ita angi, ut mentis ille æstus ac solicitudo, fo-

ras in vultum erumperet. Rem obſervavit unus aliquis amicorum, qui in eum tunc fortè incidit, cauſamque ſciſcitatus repentinæ commotionis; heus! inquit, Pater, num paulò deteriùs vales? Nam inſolitus iſte oris rubor videtur, aliquam corporis ægritudinem, indicare. Cui ille, explora, amabo, arteriam, & ſimul brachium porrigit; atque ex pulſu cognoſces, quàm acutâ laborem febri. Ardebat nimirum deſiderio ſalutis proximorum, ex eoque ardore animi, non dubiâ ſanè affinitate, fervebat ſanguis ipſæque venæ crebrius, validiúſque micabant.

Qui ad viſendos juvandoſque ægros tam incenſo ſtudio ferebatur, eum certè nec morborum contagio, nec acerbitas retardabant. Mos erat, ſtatutis diebus pauperum caſas ſordibus, ſituque horrentes obire; & aliorum quidem inopiam eleemoſinis levabat, alios jam depoſitos mortique proximos, ſacrâ confeſſione, ac ſalutaribus monitis, ad vitæ exitum muniebat.

Anicij, ad ſuburbium Sancti Ægidij, deſerto in tugurio, jacebat paupercula mulier, cui os & vultum, cancer, immedicabilis, exedebat. Infortunium augebat XIII. *Animoſa.*

 ino-

inopia & solitudo; cùm diri ulceris aspe-ctus & fœtor, homines etiam robustissimos accessus prohiberet. Quod ubi Pater intellexit, quasi in thesaurum aliquem incidisset, fœminæ corpus animumque curandum suscepit : & statis hebdomadæ diebus, ad eam medicamenta & cibaria deferebat; verbis suavissimis solabatur; confitentem audiebat, nullo unquam suffimento munitus, quod nauseam & fœtorem arceret. Sed neque illum graviorum morborum pericula terrebant.

Sacerdotio recens initiatus erat, cùm in Gallia, circa annum hujus sæculi trigesimum, pestifera lues exarsit. In publica calamitate, cùm aliorum Religiosorum, tum Sociorum enituit charitas, quorum se multi, pro patriæ civiumque suorum salute, libentissimè devoverunt. Inter cæteros B. JOANNES-FRANCISCUS arduam sibi Provinciam deposcebat; moderatorum fores obsidebat assiduus; & quamquam aliis in rebus contemptum se, omnibusque posthabitum optaret, jam tamen ut sibi primas concederent, multis rationibus contendebat. At vota, lacrymæ, preces incassum omnia ciderunt. Delecti ex omni numero plures, qui præ-

claro

claro in opere, pestilentiâ consumpti, suo loco, inter nostras charitatis victimas recensentur. Ipse ad nová laborũ seriẽ, & longiores ærumnas, divino cõsilio, nutuq; servatus.

Hanc erga proximum charitatem fovebat augebátque divinus amor quô eius pectus continenter ardebat. In mirabili DEI pulchritudine, sapientiâ, bonitate, cæterisque ejus laudibus, svavissimè acquiescebat, easque rebus creatis omnibus longè chariores ac potiores habebat. Flagitiis in DEUM illatis intimè permovebatur; eóque consilia, & labores referebat suos, ut illa aut averteret, aut vindicaret. Si quando in Urbis compita, domo egressus, in homines facinorosos incideret, qui aut obscœna, aut contumeliosa in Deum, Divosque verba, & blasphemias effutirent, eos scilicet objurgabat asperiùs; at si fortè iracundiæ æstu abrepti, minus dicto audientes essent, manu aminosè adhibitâ, cõercebat. Quo in genere tantùm habebat authoritatis, ut cùm in trivijs similes voces exaudirentur, vicini ac prætereuntes monerent impuros blaterones, ni conticescerent, eorum se nomen ad Beatum REGIS protinùs delaturos. At flagrantissimum illud studium impediendi omnes XIX. *Charitas erga DEUM*

omnes in DEUM injurias, nihil luculentiùs probat, quàm opera per tot annos, tantoque labore collocata, in perditis mulierculis ab impuritate avocandis; omnique, ad isthæc flagitia, aditu nefariis hominibus præcludendo. Præterea cùm Divinæ charitatis munus illud præcipuum sit, ut DEI gloriam ubique propositam habeat, hanc ille spectabat unam; hæc animo, rebus in omnibus, obversabatur. Et verò quid respicieret aliud in assidua, cum vili plebecula, consvetudine; operosa egentium & rusticorum institutione; difficilimis missionum ærumnis; crebrisque adversantium jactationibus, atque injurijs perferendis.

XX. *Devotio.* Abstrahebat hominem à rebus creatis divinus amor, & orationis usu, DEO conditori, mira svavitate, jungebat. Cœlestium rerum contemplatione maximè afficiebatur; cui diurni laboris subcisiva tempora, & cùm ea quoque angustiora viderentur, paucarum, ut antea diximus, horarum somno contentus, partem noctis reliquam tribuebat. Nec præclaram orandi consvetudinem, etiam in summis Missionum occupationibus intermisit.

In altissimo Vivariensium montium vertice,

tice, pagus est, qui à situ & regionis frigore, Sancti Boniti-frigidi nomen invenit. Eo in loco dum B. JOANNES-FRANCISCUS consveta Missionis obiret munia, observabat Parochus ubi domestici cubitum discessissent, solitum illum è cubiculo se se tacito gressu, silentioque proripere; cùmque eum curiosiùs aliquando requisisset, ad templi fores pronum offendit. Miratur dilectum, ea tempestate, orationi locum; rogat, urgetque, in cubiculum se recipiat, vires, necessaria quiete, ad labores crastinos firmaturus. Cùmque nihil obtineret, accersitis domo Templi clavibus, eum intrò in sacrarium ducit; ubi saltèm à pluvia & nive, si fortè ingruerent, atque ab aura nocturna tectus oraret. Hic singulis noctibus, modò erectus in pedes, modò abjectus in genua, modò in vultū provolutus, tamdiu rerum divinarum meditationi vacabat, dum lassitudine cogeretur, artus longiori vigiliâ defastigatos, brevi sopore placare.

Spirabat hæc pietas & orationis studium, in Privatis ejus publicisque sermonibus. Qui enim cum eo seorsum agebant, sentiebant se ejus colloquio, & aspectu, vehementiùs, quàm ulla aut concione, aut XXI.

 pio-

piorum librorum lectione, ad rerum divinarum amorem incendi. Ad plebem verò dicebat eo pietatis sensu, qui & magnos concitaret animorum motus, & uberes, à cætu universo, fletus eliceret. Quod unus è Societate, magni nominis concionator, cùm aliquando conspicatus esset, exclamasse ferunt proch! quàm inanes nostras omnes, in expoliendis & limandis concionibus, curas. En quanto concursu, & animorum utilitate, inculta istius hominis Catechesis audiatur, dum fucatæ nostræ huius eloquentiæ fructus, vel nullus est, vel citissimè exarescit? orationem scilicèt DEUS fortunat illam, quæ fuerit ad salutem non ad plausum populi; ad numinis cultum, non ad pompam, & ingenij ostentationem accommodata.

*P. Guil. Paschal.*

Cum tanta erga DEUM Religione, conjunctus erat cultus eximius Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti. Antequam initiatus Sacerdotio foret, sæpius in hebdomada, & quantùm literariæ occupationes patiebantur, solitus erat cælesti pabulo refici. Sacerdos verò omnem dabat operam, ne ullis unquam aut itinerum difficultatibus, aut negotiorum angustiis impeditus, sacrificandi munus omitteret.

Sanctis-

Sanctiſſimam DEI Matrem ſingulari veneratione proſequebatur; ejus cultum junior olim in ſcholis, & poſtmodùm concionator è pulpito, ſolicitè promovebat; varios colendi ritus, & privatim uſurpabat ipſe, & aliis ingenti ſtudio ſvadebat. Narrabant certè diſcipuli, ad optimæ Virginis cultum, & reverentiam, nuſquam ſe acriùs incitatos, quàm dum privatim aut publicè, de ejus laudibus dicentem audirent. Præter cæteros autem cælites, erga Cuſtodem Angelum præcipuo afficiebatur amoris ſenſu, in cujus mentionem quoties incidiſſet, totus exilire gaudio videbatur. Et hujus quidem præſidio, ac Virginis Matris ope, B. JOANNEM-FRANCISCUM in illo beatorum animorum concilio collocatum, conjecturam non levem facere licet, tum ex virtutibus modò memoratis; tum ex miraculis inferius recenſendis; tum ex communi populorum ſenſu, non dubio utique Divinæ mentis interprete.

XXII. *Fama ejus ſanctitatis.*

Vix enim è vivis exceſſerat, cùm virtutum ejus, ac ſanctimoniæ fama cæpit, è deſerta montium ſolitudine, in finitimas regiones, ſe longè latéque diffundere. Vere novo, cum primùm liqueſcere, ac diffluere

re nives incipiunt, ad extremum usque autumnum, ad locum tumuli, prærupto licèt ascensu, maxima omnis generis hominum multitudo concurrit. Nec temporis diuturnitate imminui, & langvescere, populorum pietas visa est. Dum hæc in vicinia scribimus, miramur post annos quinquaginta, vigere etiamnum loci celebritatem; eoque in pago, ubi quatuor, aut quinque domunculæ videantur, ad excipiendos advenas excitatæ, festis interdum diebus plura hominum millia numerari. Rem ingenuè, ut captus est gentis, rusticus designabat. Cùm enim quidam è nostris, in eum ex itinere incidisset, sciscitatus ab illo est, num ad tumulum Beati Regis, ingens fieret de more concursus; fit equidem, ait, & quidem tantus, ut montium istæ altitudines, atque viæ, sub peregrinantium vestigiis, penè subsidant. Et illi modò seorsum singuli, modò instructis in supplicationem agminibus veniunt; contigitque non semel, huiusmodi supplicantium turmas decem, uno die, variis è locis, confecto plurium leucarum itinere, convenisse.

XXIII. Advenis autem illis curæ potissimùm est, ut post expiatas confessione noxas,

sum-

ſumptumque Chriſti Domini Corpus, viri Sancti tumulum venerentur, & ſepulchrali arenâ certatim thecas, ac loculos impleant. Metuentes enim loci incolæ, ne finitimæ gentes pio, ut ajunt, furto, ê pago ſacrum corpus auferrent; incluſum arboris trunco, in modum feretri, excavato, ferreiſque circumligato vinculis, ſub ara virginis, ad decem, aut duodecī pedum altitudinem, demiſêre. Parochus interim advenarum pietati, ac votis obſecuturus, collectam ê ſepulchro arenam ſingulis dividit; quæ in varias regiones exportata, ad ſanandos omnis generis morbos, velut præſentiſſimum pharmacum, adhibetur.

Neque verò populi dumtaxat, ſed primariæ quoque nobilitatis, ipſorumque Eccleſiæ Antiſtitum concurſu B. JOANNIS-FRANCISCI tumulus celebratur. Præter cæteros, Eminentiſſimi Cardinalis Bonzii, ante aliquot annos, ſpectata nobis pietas fuit, qui nec montium aſperitate, nec ſeptem, octove dierum itinere retardatus, ad ejus ſepulchrum, ſupplicandi causâ ſe contulit.

Non ità multò poſt Jlluſtriſſimus Henricus Villarſius, Archiepiſcopus Viennenſis, XXIV.

sis, in cujus Diœcesi Labovesius pagus situs est, eodem functus est pietatis officio. Ubi aduentare illum, ac propè adesse parochus intellexit, cum clero, de more, cruce præeunte obviam progressus, cum subsequente famulorum equorumque comitatu, in clivum, pedibus nitentem offendit. Præsul venientem ubi conspexit, apage, inquit, optime Paroche! neque enim ego Templum istud tuum, pro potestate inspecturus, sed B. REGIS perpetuus cliens, atque ob receptam ejus patrocinio valetudinem, voti reus accedo. His dictis, viæ insistit, montem superat, & peractis ad sacrum tumulum mysteriis, votum lætus exolvit.

XXV. Huc quoque orationis gratiâ se contulit D. Daniel de Cosnac, tunc Episcopus Valentinus, nunc Archiepiscopus Aquensis Nominatus, & collatâ in Templi ornatum liberali stipe, novendiales pro se preces & complura sacra facienda curavit. Adfuit itèm non semel D. Armandus de Bethune Episcopus Aniciensis, ex singulari sua in DEI famulum reverentiâ, quem sanctum nuncupare solitus est, & cujus pictam tabellam, in religiosissimo cubilis recessu collocatam, summo in pretio habet. Mihi

Mihi quoque nuper, dum in viciniâ degerem, Jllustrissimi Champinius & Montmorinus, Valentinus ille, iste Diensis, Episcopi designati, multis ambo mihi nominibus colendi, in certum tempus condixerant, ut eos ad Beati viri tumulum comitarer. Verùm Parisios subitò à Rege, ob publica negotia evocati, rem in tempus aliud distulère. Probat interim hæc eorum, erga DEI famulum, voluntas, præclaram de ejus sanctitate opinionem.

XXVI. Ad privatam accedit publica Provinciarum existimatio. Inprimis amplissima Occitaniæ comitia, ejus sanctimoniæ fama, & flagrantibus populorum studiis permota, cælestes ipsi honores à Sede Apostolica impetandos solenni decreto statuerunt; quod sanè decretum quàm honorificum ei fuerit, è nobilissimi cœtûs dignitate liceat æstimare.

Nempe conveniunt ad isthæc comitia, Archiepiscopi, & Episcopi duo supra viginti; Barones totidem; quo nomine Duces. Marchiones, Comites, Vice-Comites. aliique Nobiles, qui ditionum suarum prærogativâ, suffragii jus in Comitiis habent; deinde legati à primariis civitati-

bus

bus Consules, supra quadraginta. Tribus enim illis, ut vocant Provinciæ ordinibus olim lege concessum, cùm Occitania regno Francico adjuncta est, ut quotannis in comitia convocati, de iis deliberarent, quæ ad Provinciæ commoda pertinerent. Ad eum itaque cætum, cùm anno millesim sexcentesimo, septuagesimo octavo, Eminentissimus, quem supra memoravi, Cardinalis Bonzius, Archiepiscopus Narbonensis, eoque nomine, Præses perpetuus comitiorum, de B. REGIS sanctimonia, ac miraculis retulisset, quem præterea eorum esse civem, & in eâdem Provincia natum diceret; uno omnium ordinum consensu, in publica Comitiorum acta relato, decretum est, Romano Pontifici supplicandum, ut eius memoriam, cœlitum honore, ritu Catholico, consecraret.

Cùm autem eam sanctitatis famam, DEI famulo potissimùm conciliarint frequentia Miracula, in ejus gratiam à DEO patrata, placet eorum nonnulla, paulò accuratiùs recensere.

VITA

# VITA
# B. JOANNIS-FRANCISCI REGIS.

## *LIBER TERTIUS.*

## MIRACULA.

INprimis, omnibus Christianis exploratum est, nullo validiori argumento probari hominis cuiuspiam sanctitatem, quàm miraculis, à DEO optimo maximo, eius gratiâ, ac deprecatione, patratis. 1

tratis. Fatemur ſiquidem omnes, vera germanaque miracula à DEO ſolo effici poſſe, cùm videlicet nullo prævio apparatu, adhibitis etiam cauſis ac qualitatibus diſſentaneis, puta, exiguo pulvere, ligneâque, aut papiraceâ imagine, mirabiles ſubitæque fiunt morborum curationes, quæ omnium oculis patent, ac diutiſſimè perſeverant. Cùm enim hæc omnia ſuperent vim, ac ſolertiam Angelorum, & Dæmonum, aliarumque cauſarum naturalium, quæ nec formam corruptam inſtaurare, nec alienis ac minimè idoneis inſtrumentis efficere quid-quam poſſunt, ad DEUM certè naturæ autorem confugere neceſſe eſt, qui nonnullarum rerum efficientiam propriam ſibi eſſe voluit, nec eam prorsùs naturalibus cauſis impertiit.

II. Adde miracula, ut DEI opera, ita velut ejus vocem ac ſermonem eſſe; hoc eſt, ſolitum illum ùt verbis, ita Miraculis, ſuam mentem mortalibus aperire. Quemadmodùm enim homines, intimos animi ſenſus, verbis aut ſignis, ita DEUS ſuæ mentis cogitata, tùm verbis; tum ſignis mirabilibus patefacere ſolet, atque exteriùs indicare. DEUS, inquit Auguſtinus,

*Mira-*

*Mirabilibus operibus loquitur.* Ex quibus *Ep.* 49.
perspectum est, DEUM Optimum sanctissimumque, ut mentiri & falsum dicere prorsùs nequit, sic neque miracula patrare posse, ad errorem, & fraudem hominibus svadendam.

Atenim illustria planè ac sincera fuêre miracula, quibus DEUS B. JOANNI-FRANCISCO REGIS, de quo nunc scribimus, & populorum fiduciam, & sanctitatis conciliavit famam. Nam easdem omnino notas, eademque præferunt veritatis insignia, quibus exploratissima quæquæ Ecclesiæ Christianæ miracula vulgò nituntur. Ut enim istis fides adjungitur ex probitate, sapientiâ, & multitudine testium, qui ea, aut suis ipsimet oculis usurparunt, aut ab aliis accepta, posterorum memoriæ prodiderunt: ita illorum testes vivos plerosque, ac præsentes producimus, qui & majori integritate ac modestiâ præditi sunt, quàm ut possint, orbem Christianum, in fraudē inducere.

Iuvat è multis pauca seligere. Dixi pauca de multis. Nam Claudius Broæus olim sexaginta collegit, ac Typis edidit. FRANCISCUS deinde Creuxius addidit quinque supra viginti. Ex quibus omnibus,

visum est nonnulla dumtaxat attingere, aliaque simul adjicere, quæ recentiori memoriâ contigêre.

III. 1. *Dysenteriæ curatio.* Dysenteriâ dudum laborabat puella Aniciensis, & jam sanguine ac viribus exhausta penè deficiebat; cùm ægram, de more, B. JOANNES-FRANCISCUS invisit. Ergo frequentia tormina, ac deliquia miseratus, hortatur, ut certa cuipiam cœlitum vota faciat, ejusque adhibito nomine, à DEO Optimo Maximo, sanitatem exposcat. Illa, seu quod revera jam sæpiùs vovisset, sive ex ægritudine paulò morosior, respondet, plura abs se vota suscepta, nec DEO visum hactenus, illis favere; vitam quidem ac salutem suam in ejus manu positam esse; at ratum sibi fixumque, ad eam servandam, nullum ampliùs votum nuncupare. Cui Pater, at non gravaberis, inquit, oratiunculam recitare, quam, ego subiicio. Et simul voce præit orationem, quam, magno pietatis sensu, puella prosequitur. Absoluta precatione, domo abscedit. Redit postridie manè, sciscitaturus utì ægrota se haberet. Vix cubiculi attigerat limen, cùm puella exiliens gaudio, ah Pater! exclamat: & ille rem suspicatus, manu silen-

cium imperabat, ne socius in Collegium redux auditum miraculum indicaret. Puella nihilominùs pergit, ah Pater! subitam morbi curationem DEO planè, tibique acceptam refero. Ex quo enim simul oravimus, hæsit omnis fluxio sanguinis; febris ardor resedit; noctem traduxi placidissimam, sic ut nullæ prorsus videantur morbi reliquiæ superesse. Accurrunt extemplò, domestici, & puellæ testimonium omni asseveratione confirmant. Pater levi rubore suffusus, gratiis DEO actis, plaudentium se ac gratulantium officiis, quàm citissimè subtrahit.

Puellam alteram, apud se peccata confiteri solitam, cùm aliquandò ægrotantem adijsset, omni sensuum usu destitutam, ac planè depositam offendit. Aderat Medicus, affirmabatque, vix, ad duas tresve horas, vitam ac spiritum superesse; nec porrò magis opportunam accidere, eo rerum articulo, Sacerdotis quàm Medici operam; cùm Puella omnino audiendi sensu careret. Pater, qui puellæ virtutem perspectam habebat, ejusque industria ad varia pietatis opera utebatur ad jacentis conspectum ingemuit, & cognatorum turbâ secedere, tantisper jussâ, so- IV. 2. *Ægra deposita subitò convalescit.*

lus ipſe cum ſocio, in cubiculo ſubſtitit. Hîc effuſus in preces, pro ægrotæ incolumitate, DEO ardentiſſimè ſupplicat. Mox veluti afflatus numine, ſurgit in pedes, ad cubile accedit, correptâque puellæ dexterâ, macte filia, inquit, jubet DEUS ut valeas; longius ille tibi curririculum pœnitentiæ, vitæque concedit. Puella quaſi ſomno excitata attollit oculos Patrem appellat, & quid circa ſe agatur, interrogat. Ille ad Medicum & domeſticos regreſſus, reviſite, inquit, ægrotam; nunc mihi quidem videtur meliusculè ſe habere: intereáque, dum accurritur, domo celeriter ſe ſubducit. Medicus in opinato caſu obſtupefactus, miratur & rationis & ſenſuum compotem, ac febri planè carentem; miraculum longè latéque, voce, ac litteris celebrat, aſſeritqueB. JOANNIS-FRANCISCI oratione,plùs uno temporis momento, quàm, per dies plures,, ſua medicinæ arte perfectum. Sed nec ipſimet defuit cæleſtis Medicus qui, ejus gratiâ, aliorum vulnera morboſque ſanabat.

V. Pergebat, hiberno tempore, ad ſtationem miſſioni conſtitutam; & validus, ut in montibus aſſolet, ſpirabat ventus, viæque

3. *Tibia fracta ipſi9*

que circum omnes gelu & glacie rigebant, Ille baculo nixus, contra vim turbinis obluctabatur; cùm lubrica glacie falente vestigium, ſupinus corruit, tibiamque ex lapſu repentè confringit. Nullus aderat in ea ſolitudine Chirurgus, qui oſſium fruſta ſuo loco reponeret; & Patrem non tam doloris acerbitas, quàm longioris curationis metus, ac tædium, injectáque miſſioni mora ſollicitum habebant. Ergo fiducia in DEUM ſingulari fretus orat, vel malo, ſi videatur, medicinam afferat, vel ad tolerantiam, vires animumque confirmet. Precationi annuit DEUS; nam eâ abſolutâ, oſſium fragmenta in ſuam ſedem ità cöaluêre, ut ſocius vix ſuis attrectantis manibus, vix oculis crederet. Ipſe erectus in pedes, viam duarum leucarum itinere, mirâ alacritate proſequitur; atque ad locum deſtinatum ubi pervenit, non ad hoſpitium, ſed gratias DEO acturus, in Templum rectà contendit, Parochus, quid acidiſſet certior factus, ad eum venit, confitentibus, qui jam accurrerant, audiendis intentum; nec niſi poſt multam cunctationem ac moram, domum abducit. Hic tibiam rurſum diligenter explorat, & ſanam omnino inte-

*B. Reris repente ſanatur*

gramque offendit. At B. Joannes-Franciscus tanti beneficij memor, omnes subinde itinerum labores atque molestias subibat alacriùs, cumque ab amicis interdum moneretur, eas ut aliquantulum mitigaret, ajebat isto se tibiæ sanatæ miraculo, doctum, quid DEI causâ tolerandum sibi quantum esset in eius præsidio, spei ac fiduciæ collocandum. Curio certè Voreensis Sacerdos ætate & sapientiâ gravis, ità se ab ipsomet B. Regis audisse juratus duobus è nostris affirmavit; quorum unus rem scripto syncerissimè prodidit, alter mihi, eodem omnino fide, narravit. Alterius generis est quod adjungo.

VI. 4. *Frumẽtum in horreo multiplicatũ.* Mos erat ad rusticanas missiones proficiscenti, corrogatam frumenti copiam, unum in locum congerere; ad levandam, absente se, egentium & mendicorum inopiam. Anicii suam illam annonam, ingenti arcâ, reconditam, in ædibus scribæ viri honesti collocarat; ejusque procurationi, matronam notæ pietatis fideique, præfecerat. Ubi in Collegium rediit, magnus ad eum fit, de more, concursus mẽdicorum stipem flagitantium; quam ut ipsis, consveta benignitate, largiretur, an-

nonæ curatricem extemplò vocari jubet. Adest mulier, pernegatque vel unum tritici granum, micamve panis sibi suppetere; horreum ait prorsus exhaustum, ac commeatum porrò aliunde pauperibus conquirendum. Cui Pater, vide sis, inquit, an ritè introspexeris omnia? rem ambo simul exploremus. His dictis, pallium induit, seque in viam dat, fæminâ subsequente. Postquam domum ventum est, clauim expedit mulier, arcam reserat, & tritico refertissimam obstupescit, optimè conscia clavim se nemini mortalium tradidisse. Pater hanc DEI, in pauperes, providentiam aliàs non semel expertus, suam exinde, erga optimum Parentem, fiduciam auxit.

Prophetiæ dono non caruisse, docent quæ de prævisio obitûs tempore superiùs diximus. Ejusdem generis alia plurima memorantur, è quibus unum aut alterum duntaxat excerpsi. VII. 5. *Prophetiæ donum. 1. Prædictio.*

Ibat Valentiam Delphinatûs, optimus adolescens Marcellinus Furnellus; dumque Velaunos montes peragraret, fortè incidit in Beatum REGIS, magnâ sibi familiaritate conjunctum. Post mutua salutationis officia, sciscitatur ex eo Pater

 quò

quò via duceret, quæ consilia agitaret? Et ille, in studiis, inquit, Juris Civilis aliquot jam annos versatus, Valentiam pergo, in ea Academia, Doctoris Lauream accepturus. Bene habet, subjicit Pater, at deinde quid cogitas? cogito, ait, matrimonium, quod mihi commodissimâ sanè conditione proponitur. Hìc Pater, oculis humi aliquandiu defixis, Doctoris, inquit, tu quidem gradum, ad conjugium minimè assequeris. Longè aliud de te Divino numini constitutum: nam huic nostræ Societati daturus es nomen, quam tuis, ut spero, virtutibus, ac concionibus illustrabis. Neque dicto abfuit fides. Exortæ subinde tricæ, ac contentiones, cæpta de matrimonio consilia disturbarunt; & Juvenis salubriora sectatus, abjectâ omni rerum humanarum ac sæculi curâ, non ità multò post ad Societatem accessit. Ac ne vaticinatio vel minimùm falleret, hominem postmodùm in celeberrimis Galliæ Templis maximo concursu & plausu concionantem audivimus; & cùm Parisios quoque vocaretur, in ipso procinctu itineris, mors immatura penè in flore ætatis oppressit. Ipse porrò ut viri DEI sanctitatem extolleret, expertum probatumque sibi referebat oraculum. Pu-

Puellam honestam & gravem, consiliorum suorum adjutricem, multis aliquando precibus orabat, ut ad certum charitatis opus operam de more conferret; & illa seu metu, seu tædio victa, paulò contumaciùs, abnuebat. Tum Pater conjectis in eam oculis, siccine, inquit, filia, hac meam postulationem precesque repudias? At erit aliquando tempus, cùm tu amicorum & consilii inops, ad meam confugies opem, neque ego certè, eadem istâ duritie, tua vota rejiciam. Nec falsa vaticinarum eventus docuit. Eo enim, post breve tempus, extincto; perditi homines, qui puellam eo nomine pessimè oderant, quòd in abducendis, à nefario quæstu, meretriculis, Patrem olim egregiè adjuvisset, jam ab omni metu soluti, pugnis & calcibus ità contundunt, ut ex dolore, & ictibus diutiùs ægrotaret. Cùm itaque ex diuturno morbo langueret, nec ulla medicorum industria levamentum afferret, demum venit in mentem ad Patroni optimi tumulum se conferre, jam, ab ipso exequiarum tempore, populorum celebritate, & pluribus Miraculis inclitum. Hìc voto ritè persoluto, præsentem ex ejus patrocinio sensit opem; VIII. *2. Prædictio.*

eóque

de cælis adjuvante, ex ægritudine, & doloribus illico confirmata, domum incolumis remeavit. Quo vel unò casu non obscurè significatur, B. JOANNEM-FRANCISCUM plura simul in posterum præsensisse; nempè & virginem illam plagis olim malè mulctandam; & se brevi moriturum; & suum demortui sepulchrum, frequentibus prodigiis, hominumque concursu, ac multitudine celebrandum. Et quoniam earum rerum incidit mentio quas, ad ejus tumulum, mirabiliter DEUS effecit, juvat paucas è multis ordine recensere.

IX. 6. *Febris quotidianæ subita curatio.* Vitalis è pago Sancti Boniti, assiduâ molestáque febri, plures jam menses, laborabat. Cùmque frustrà tentatâ consumptaque Medicorum arte, febrilis æstus, statis temporibus, constanter crebroque recurreret, statuit demum ad B. REGIS tumulùm, è vicinia, remedium petere, quod remotiores alii, impensis majoribus, pluriumque dierum itinere, quærerent. Itaque moræ impatiens jubet se in jumentum imponi; & quoniam ex morbi longinquitate, corpus ità extabuerat macie, ut in equo hærere vix posset, adjuncti duo valentissimi famuli, qui nutantem exciperent,

perent, & brachiis hinc inde fulcirent. Eo comitatu, Lalovesium advectus, adstantium manibus in Templum inducitur. Hìc genibus sepulchro adrepens, humili deprecatione, multisque lahcrymis, Beati Viri præsidium, & pias, apud DEUM, preces exposcit. Dum maximè ferveret supplicantis oratio, sensit vim benignam ac salutarem per membra diffundi, languorem abscedere, & vires pristinas excitari. Gratiis DEO, Sacramentorum Communione, suppliciter actis, Templo egreditur; atque ut acceptum beneficium illustriùs foret; amoto, quo vectus fuerat equo, domum, tribus omninò leucis distantem, pedes, singulari alacritate, repetiit.

X. 7. *Cæco Restituitur visus.*

Henrico Mauro Tensani, apud Velaunos, Judicis vicario, dolore, per duos annos, acerbissimo ità debilitata, obtusaque fuit oculorum acies, ut præter malignam lucem, planè nihil; non alba, non atra discerneret. Cæcitatem solabatur suam, excipiendis adeundisque amicis, quorum unum cùm aliquando invisisset, fido famulo itineris duce, in reditu La, lovesium divertit. Templum ingressus, ut sacrorum mysteriorum perceptione, viri

DEI

DEI patrocinium ſibi conciliaret, ad multam diem, Pœnitentiæ tribunal obſedit; ſed advenarum turbâ, & multiplici ſupplicantium cœtu, Sacramento excluſus, re infectâ, diſcedere cogitur. Infortunium auxit, quòd in digreſſu, videndi ſenſum omnem ità amiſerit, ut ne ipſam quidem lucem internoſceret; ſeu viarum & caloris æſtus, ſeu vapor è craſſiori multitudinis halitu excitatus, vim luminis prorſus extinxerit. Domum redux, dies noctesque, flebiliter querebatur, quòd ſua erga B. Regis obſervantia ſibi nihil admodum profuiſſet; & in eo loco, ubi ægri plurimi incolumitatem, & priſtinam valetudinem reciperent, ipſe operam atque oculos perdidiſſet. His tamen preſſus ærumnis, adduci non potuit, ut vel de præſtanti cæleſtis animæ, apud DEUM, gratiâ; vel de eximia, erga ſe, charitate diffideret. Forſan, ajebat, DEI famulo minùs gratum accidit, quòd ſuum ad tumulum, caſu magis quàm conſilio venerim; nec Sacramentis, de more, divinum propitiaverim Numen? Juvat ergo nova peregrinatione, hanc qualemcumque negligentiæ culpam eluere. Cùm, nocte quadam, huiuſmodi cogitationum

æſtu

æſtu vehementiùs jactatus eſſet, manè, ubi illuxit, luminis, ut olim, fulgor aliquis micare oculis videbatur. Eo augurio, in ſpem excitatus viſûs recipiendi, equum continuò ſterni jubet, ſeque ad Patroni optimi ſepulchrum, ſinè mora deduci. Quò ſimul atque pervenit, ſacros cineres veneratus, nihil antiquius habuit, quàm ut ad Pœnitentiæ primùm, deinde ad Euchariſtiæ Sacramentum accederet. Ecce autem, inter ardentiſſimas preces, detergi oculorum aciem; aperiri oculos; diſcuti ſenſim caliginem; & res omnes coram poſitas clariſſimè apparere. Vix ſui compos precatorium libellum poſtulat, expeditè perlegit, & minutiſſimos apices intuetur. Nec mora, gaudio exiliens, & ſtupore ſimul, ac religione perculſus, Templo excedit, & miraculũ ipſe, & circũfuſa multitudo omnis exclamat. Rem multorum hominum teſtimonio, actiſque publicis confirmatam, ab ipſomet Mauro audivit Claudius Broæus qui B. REGIS miracula collegit primus, typiſque vulgavit.

In eodem oppido Tanſo, anno hujus ſæculi quadrageſimo ſeptimo, tempore verni jejunii, conciones habebat P. Ber- XI. 8. *Puer*

*Paralyticus sanatur.* Bertrandus Bochetus, qui in procurationem Miſſionis, huic noſtro B. JOANNI-FRANCISCO, non minori ſanctimoniæ famà ſucceſſerat. At eum, feriâ ſextâ majoris hebdomadæ, peccata confeſſione expiaturus acceſſit duodenis puer, qui tibiis captus ac debilis, non niſi ſubalaribus nixus baculis, tribus ab hinc menſibus, gradiebatur. Miratus acre ingenium, optimamque pueri indolem, eius vicem ingemuit, ratus ad liberales diſciplinas perdiſcendas apprimè idoneum, niſi incommoda valetudo, & caſſus iſte fractuſque inceſſus obſtarent. Cùmque illud ipſum obviæ pueri matri, ſub veſperum, ſignificaſſet; audio, inquit illa, optime P. Laloveſium te, poſt feſta Paſchalia, profecturum; rem facies utique dignam tua pietate, ſi ad tumulum Sancti Patris, ità vulgò dicebatur, pro Filioli huius mei ſalute, divinâ Hoſtiâ litare volueris. Ille matris charitate ac fiduciâ delectatus, quod peteret, effecturum ſe, prolixè recepit. Neque irrita ſanè fuit mulieris fides. Die Mercurii proximè ſequenti, dum in Templo Laloveſiano, idem Sacerdos ad aras faceret; puero procul abſenti defluunt ſubitò axillares bacilli; crura & tibiæ expli-

explicantur; ipſeque pedibus, ſtupente omni circùm familia, valens vegetuſque inſiſtit. Ubi P. in oppidum rediit, piæ matronæ venit ad ædes, de puero ſciſcitaturus; cùm, ecce, ille repentè, in ipſo domûs veſtibulo, exiliens, geſtienſque occurrit; adeſt mater, & domeſtici ſimul omnes fidem Miraculo adſtruentes. Admiratione obſtupefactus percontatur ex illis, de modo & tempore ſubitæ currationis; atque ex horarum ratione planè comperit, eo ipſo temporis momento contigiſſe illam, quo rem ipſe divinam pro puero faciebat. Caſum ſanè mirabilem ſuis uſurpatum oculis, narrabat vir ille graviſſimus, qui mihi quidem unus inſtar eſt plurium teſtium, ob ſingularem ſapientiam, modeſtiamque, domi foriſque perſpectam. Nam præter cæteras virtutes Romam ad Ordinis comitia deſtinatus, mox deſignatus Provincialis, munus utrumque rejecit, ne aliquandiu intermiſſa animorum cura conſeneſceret, eóque intervallo, res Miſſionis publica detrimenti aliquid pateretur. Quæ porrò homini tantæ prudentiæ, ac pietatis, mentiendi cauſa ſubeſſet? Quod ſubijcitur tamen, illuſtriùs eſt, ac longiùs latiúſque vulgatum.

In

XII. In confiniis Velauniæ ac Vivarienſis
9. Provinciæ, Vanoſcum pagus eſt, quem
*Puellæ* anno huius ſæculi ſeptuageſimo ſecundo,
*paralyticæ insignis curatio.* Claudius Percius Tabellio Regis incolebat. Huius filia Joanna annos nata quinque & viginti, ab initio Quadrageſimæ, variis gutturis primùm, humerorum deinde, renumque doloribus vexata fuit; donec in pedũ malleolos ſupra modũ, intumeſcentes vis tota morbi, ac vitioſi humoris incubuit. Acciti è vicinia Medici, Chirurgique in levanda mitigandaque morbi acerbitate, per quatuor omnino menſes, artem & operam poſuêre; at difficili adeò irritaque curatione, ut contractis etiam, humoris acrimoniâ, nervis, tibia prorſus adhæreſceret cruri, Cùmque hæc calamitas omnium graviſſima videretur, adhibitum continuò medicamentorum genus omne, fomenta, olei, balneæ, ad molliendos reſtituendoſque nervos; ſed labor omnis fruſtra ſuſceptus. Puella itaque, & ſuo jam periculo docta, & à Medicis diſertè præmonita, morbum nullâ hominum arte, ſanari poſſe, ſtatuit ad cæleſtem B. REGIS opem, prœſidiumqne confugere; Verùm, ſeu fides ſupplicantis aliquantulum vacillaret, ſeu DEUS morbum

bum ingravescere pateretur, quo suam deinde vim ac solertiam luculentiùs posset exprimere, preces tunc quidem ac vota omnia in irritum cecidêre. Nam neque vis morbi remisit, & mense Julio anni septuagesimi tertii, proximè sequentis, frequentibus epilepticis motibus jactata fuit, qui ibi demum, ineunte Augusto, quievêre, cùm tibia læva distorta jam, contractaque foret dextra, situ planè opposito, ita rigere cœpit, ut arida prorsus atque immobilis permaneret.

Sub finem ejusdem mensis, rursùm effervescente illâ membrorum jactatione, dentes mordicus constricti; offula oculis caligo; & lingva ad ipsas gutturis angustias penè detrusa. His ærumnis per triduum conflictata, ad vitæ extrema devenerat, nec tamen demittebat animum, aut singularem, erga optimum Patronum, fiduciam contrahebat. Balbutiebat identidem pauculas voces, quæ ejus nomen sonare videbantur. Quod cùm unus ex circumadstantibus observasset, succlamat in aurē, velletne B. Regi votum, de se, aliquod fieri; illa, leni risu, ipsoque capite protinùs annuit. Nec mora Lalovesium profectus puellæ frater natu major, divinum

pro ea ſacrificium fieri curat; ipſeque præmiſſo ritè jeiunio, ſuſceptoque Chriſti Corpore, piæ ſorori, viri DEI patrocinium atque opem exorat. Et profuit ægrotæ peregrinatio. Ante enim quàm Juvenis rediiſſet, expedire verba cœpit; nec ità multò poſt, membrarum jactatio conquievit; atque anniverſario demùm naſcentis Virginis die, reddita pœnitùs oculorum ac lucis uſura. Sed cùm iis initiis curationis beneficium conſtitiſſet, parentibus præpropere viſum eſt, humanâ arte perficere, quod ſolertiſſima DEI manus mirabiliter inchoaſſet. Vocatus Chirurgus ſpem faciebat molliturum ſe nodos geminos, quibus dentes ita comprimebantur, ut in os cibus inſeri vix poſſet; at perverſa medicamentorum vi planè contigit, ut renovatâ vehementi illa membrorum colliſione brachium dextrum adhæſerit pectori, ac renibus interiùs compulſis ſtomachus uno fere intumuerit palmo.

In hac tanta calamitate, recurrebat animo perfecta jam ſibi, expertaque charitas, ac pietas Beati Regis; cujus ſuaviſſima recordatione excitata, ſtatuit demum, abjecta omni medicorum arte, non alterius

rius certè quàm ejus ſalutarem manum, atque auxilium ad malorum ſolatium, adhibere. Vocat extemplò Pontivianum Sacerdotem, quo tunc ad confeſſiones utebatur, rogatque ut poſtera die, divinum pro ſe ſacrificium faciat, voveatque, ſuo nomine novena ſacra, & peregrinationem ad Patroni optimi ſepulchrum, ubi primùm dolorum acerbitas aliquantulum remiſit. Vix ille votum conceperat, cùm mitigati dolores ſubitò quievêre. December erat, & parentes religioni ducebant ægram puellam itineri, eâ tempeſtate, comittere; ſed aſſiduis, per menſem unum, precibus fatigati, initio Januarii, in lecticam imponunt. Toleratâ, nullo incommodo, vehiculi jactatione, ex eo primùm valetudinem ſperare auſa, deque affutura ſibi cæleſti ope certiſſima ominari. Et verò hac ipsâ nocte, admoveri ſibi ſenſit geminas manus, quæ renes ac detumeſcentem ſtomachum. in priſtinam ſedem ſitumque reponerent.

XIII. Die ſequenti, quæ Epiphaniæ feſto præluxit, novemdialia ſacra, ex voto, celebrari cæpta. Delata in templum puella præſens myſterio aderat, cùm ecce,

dum Hoſtia ſalutaris attollitur, brachium, quod pectori adhærebat, ab eo repentè ſejungitur, ita molle ac flexibile, ut facilime ſequeretur quócumque illa torqueret. Sub veſperum, dum loci parochuscum ea de rebus divinis colloquitur, dextera tibia dudum exſucca & rigida, molliri ſenſim viſa eſt, ac vitali ſpiritu & calore perfundi. Ergo, pede uno jam ad inſiſtendum idoneo, famulam vocat, & ſubalares baculos deferri jubet, quibus innixa quamquam nox immineret, venit in templum. Ad ſepulchrum admota, vix ſacram arenam tetigit, cùm ſiniſtra tibia contorta incurvàque, aliquantùm à crure divellitur. Poſterâ die Epiphaniæ ſacrâ, ac rursùm ſequenti, dum ſublimis Hoſtia, populo, de more, adoranda proponitur, ampliùs extendi, & ſenſim reſtitui viſa eſt; ac poſtridiè manè, in medio quoque ſacrificio, cùm ipſa viribus & animo defeciſſet, in priſtinam formam planè reducitur. Die demùm alterâ, novendialium quintâ, interim dum ſacrum celebraretur, puella rursùm deliquium paſſa eſt, ex quo priuſquam excitaretur, ſolutus dentium rigor; & geminus, quo maxillæ comprimebantur, nodus evanuit.

Vix

Vix uſpiam certè, uno in corpore, major varietas, multitudoque morborum vix felicior promptiorque curatio. At ne fides eventûs, ad Chriſtianam pietatem, & memoriam poſterorum inſignis, vel nutaret, vel ſenſim deficeret, loci Parochus ab Archiepiſcopo Viennenſi, libello ſupplici, poſtulavit, ut de recenti Miraculo, ritè juberet inquiri; Præſul cauſæ æqvitate permotus, rem totam ad Franciſcum Gaiotum, ſuum in foro Metropolitano, Vicarium judicem delegavit.

Ille, ſub finem Februarii, Joannam puellam, ejuſque Patrem Annonæum accerſit; ſimulque vocat ad ſe Chomellum ac Moninum, ſolertes & induſtrios medicos, qui ægrotanti nuperrimè medebantur. Et iſti; dicto priùs, ad Evangeliorum codicem, Sacramento, diſertè pronuntiant, puellam per biennium integrum, irrito labore curatam abs ſe; morboſque, quibus ad ſingulos ferè corporis partes vexabatur, ſibi planè inſanabiles viſos; cùmque jam incolumis & ſalva compareat, ſe omninò adduci ut credant, eam non niſi, Miraculo ac Divinâ ope, ſanatam. Id ipſum affirmant Coſterius, & Martinetus peritiſſimi ambo Chirurgi, quorum

ille in itinere, ægrotæ adjutor & comes, rei totius testis ac conscius fuit; alter quamquam secta Calvinianus, amplissimum nihilominus mirabili curationi testimonium tribuit. Vicarius Annonæo Lalovesium profectus, adstante Parocho, ac Religionis Prætore, nonnullos Sacerdotes, & Laicos, ad dicendum testimonium vocat; cùmque illi, unâ omnes voce consentirent; miraculum tot veritatis notis illustre, publicis tabulis ritè consignat. Jam verò è sepulchro Beati Viri, ad vicina quoque loca, ejus virtus præsidiumque manavit.

XIV. 10 *Herniæ curatio* Joannes Gaspar Montereymarus civis Aniciensis, inter suos honestissimus, è laxatis atque effluentibus intestinis gravissimè laborabat, jamque hernia, sensim duorum annorum spatio coalescens, in eam molem accreverat, quæ crassitudinem humani capitis, & lapidis duritiem imitaretur. Adhibiti in consultationem clarissimi Medici, remedia varii generis dixerant; quibus cùm nihil efficeretur, omninò pronuntiant desperatam valetudinem, morbumque immedicabilem esse. Destitutus æger Medicorum auxilio, in cælum oculos & animum convertit

cum-

cùmque alios cælites, tum Beatum Regis implorat cujus recens adhuc in ea civitate, virtutum memoria, nomenque florebat. Sed finem itaque Septembris anni millesimi sexcentesimi septuagesimi tertii, vovet ad ejus tumulum peregrinaturum se, si morbo isto, istisque doloribus levari, DEO benè propitio, contigisset. At nihil tunc quidem seu voto, seu precibus impetratum: dolores contrà majorem in modum augeri, hominemque acerbiùs torquere. Perseveravit ea corporis & animi ægritudo per quatuor omninò menses, ad diem quartam & vigesimam Januarii proximè sequentis. Eo die cùm in domesticorum coronâ sederet ad ignem, solitò acriùs doloribus vellicatus, heus! charissimi, exclamat, de me prorsùs actum est, nisi hanc doloris acerbitatem mitigaverit DEUS. Sentio parandum discessum, resque animæ ac familiæ quantocius componendas.

Perculsus eà voce Franciscus decennis puer, qui in Collegio Societatis, Grammaticæ studebat; quin, ait, B. Regis in auxilium vocas, tuamque salutem ejus præsidio ac fidei, concepto quopiam voto committis. Celebratur ejus sepulchrum

quotidiana penè rerum mirabilium effe-ctione; & noſter in ſchola Magiſter narra bat hodie manè, de puella Percia pedi-bus & brachiis debili, morbiſque plu-ribus implicata, novendiali ad eum locum-ſtatione, nuper miraculo ſanata. Pere-grinationem, inquit æger, ante aliquot menſes, ad ſacros Beati Viri cineres, vo-veram, ſed votum ne redderem, morbi hujus magnitudo prohibuit. At DEUM Sanctiſſimè teſtor, quantum cúmque ſe dolor intendat, quàmprimùm iter ingre-diar votumque ritè perſolvam. Et ſi-mul ſurgit è foco, atque ad lecti angu-lum accedens, in genua ſeſe abijcit ſup-plex. Ecce autem dum ſummo ardore animi votum inſtaurat, ingens illa herniæ moles ſubitò liqueſcit ac ſolvitur. Ille dolore ſimul & pondere levatus, mira-culum exclamat, uxorem & liberos vo-cat, detumuiſſe ſuam illam herniam pla-nè confirmat, jubetque; ut illicò procum-bentes DEUM tanti beneficii autorem, humili prece, gratoque ac libenti animo venerentur. Accitur ex templò Gorardus Chirurgus, qui cùm curationem pridie deſperaſſet, re demùm diligentiſſimè ex-plorata, dilapſum prorsûs tumorem

omnem,

omnem & vim DEI mirabilem, ac solertissimam manum agnovit. Sparsus per urbem, perque Provinciam rumor movit Jllustrissimum, quem supra memoravi, Armandum Bethunium Aniciensem Episcopum, non sapientiâ minùs & eruditione, quàm natalibus clarum, ut Joanni Blanco Vicario suo rei totius cognitionem daret. Ille auditis seorsum Medicis, ægroto ipso, ac familiâ universâ miraculum probè testatum in acta publica retulit; mox etiam ut Typis ederetur è re christiana existimavit. Æger verò, brevi, è longa macie & imbecilitate corporis recreatus, peregrinatione ad Patroni optimi tumulum suscepta, votum, intra paucos dies, lætus ac sospes exolvit.

Habitabat ad Sanctum-Juram, Velaunis in montibus, vir nobilis Joachimus de Gazelles, cum uxore Jzabella Angelica de Rousillon, spectatæ, in iis locis, pietatis, ac prudentiæ fœminâ. Cùm autem Angelica post cœnam aliquando, in circulo domesticorum, lanam è colu duceret, fusum digitis repentè dilapsum in pavimenti rimâ defigitur. Illa fusum celerrimè manu prosequens, erectam in cuspidem incurrit; & simul, magno doloris

XV.
11.
*Mansus grandi vulnere perforata.*

ris ſenſu, palma perfoditur. Aſſurgunt illicò circumſedentes famulæ, fuſum manu extrahunt, ſanguinem ſiſtunt, & paniculis vulnus obligant, cùm eâ noctis horâ è vicino oppido Chirurgus acciri non poſſet. Ægra interim in lectulo collocata, ex doloris acerbitate, partem quietis capiebat nullam; donec, poſt unam aut alteram horam, venit in mentem, B. Regis opem expoſcere. Nec mora, viri DEI Reliquias, quas in capſulà repoſitas habebat, ad ſe jubet afferri; pulverem è tumuli gleba, vulneris in vola; adverſæ manui, quò vulns erumpebat, veſtis particulam admovet. Mitigato repentè doloris ſenſu, leni paulatim ſopore perfunditur, nullis, per noctē reliquam, inſomniis, aut angoribus agitata. Adfuit poſtridie manè Chirurgus, & evolutis faſciolis, mulieris manum explorat. At ecce, vulnus planè obductū apparet; exigua, in modum circuli, ad utramque manûs partem, reſidua cicatrice, quæ ſtupentibus domeſticis omnibus tunc quidem perſpecta eſt, nec ita multò poſt, ipſis Eccleſiaſticis cognitoribus, qui rem in acta publica diligentiſſimè retulerunt. Neque Galliæ dumtaxat fini-

bus,

bus, DEI famuli nomen, & vis benefica se continuit; sed ad remotissimas etiam gentes brevi propagata est.

Kebeci in nova Francia, Angelica Brugyera cùm prole careret, & vitæ sanctioris studio teneretur, cùm marito Andrea Sediloto, Sanctimonialium, quæ hospitalem pauperum domum administrant, famulatui se nuper addixerat. Illa cùm jam ante unum annum, ad camini testudinem, frontem, alisisset imprudens, sanie & tabo in sinus cerebri confluente, frequenti dolore capitis premebatur; eoque in dies ingravescente, contigit, ut nocte quintâ Decembris, anno hujus sæculi septuagesimo quinto, sanguinis se in stomachum infundentis vim magnam evomeret. Iterato per intervalla vomitu, die septimâ, cœpit de vita periclitari; nonâ verò, curatio penitus desperata. Mulieris vicem miserata una è sanctimonialibus, quæ in recenti morbo, Beati Regis fuerat opem experta, positis ad ægrotantis cubile genibus, novendiales pro ejus incolumitate preces, aliáque pietatis opera vovet. Sed nullus tunc quidem voti extitit fructus. Qvinque, sexve fluxêre dies, nec tantillum imminutus est morbus. Quin

XVI. 12. *Phrenesis, & cerebrú sanie corruptum.*

etiam

etiam, deficientibus magis magisque viribus, die mensis decima quarta, eo deducta est, ut sacro morientium chrismate inungenda videretur. Addebant medici vix in crastinum superstitem fore. Movit ea denuntiatio sanctimonialem, de qua diximus, ut DEI famulo pro mulieris salute impensius supplicaret. Simul ejus imaginem, cum exiguo tumuli pulvere, sacculo inclusam, è fœminæ collo suspendit. Perseveravit nihilominùs illa in his vitæ mortisque confiniis, ad decimam octavam ejusdem mensis, quæ diem ultimam voti novendialis excepit. Primo diluculo eadem monialis cum socia, suspenso vestigio, ad lectum accedens, utì haberet, blandè interrogat; & illa, meliusculè, inquit, ac spes est, proxima nocte, majorem fore rerum mutationem. Unde aiunt, isthæc tibi præsagitio, istáque fiducia? Vir, subijcit, plane ignotus, gravi & præclara specie, vigilanti, nescio, an dormienti spectandum se obtulit; ac post unam diem, meliùs mihi fore certò prædixit. Quo habitu, instant, qua formâ se se ostendit? Jesuitarum, inquit, habitu, visus est; Sacerdotum pileum capite, manu Crucem ligneam præferebat:

nomen

nomen ſibi eſſe dixit, R aut Re; ſillabæ mihi reliquæ exciderunt. Monialis quæ votum emiſerat, rem facilè ſuſpicata, Beatum Regis ultro ſubjicit. Ipſe prorſus, exclamat ægra, Ipſe eſt. Ter iteraverat nomen; ſed iſte capitis ſtupor, memoriam mihi, & ſenſum omnem obtundit. Experiamur, ait illa, an ſis effigiem hominis agnitura? Et ſimul diſcindit ſacculum ejus collo appenſum, probè aſſutum & obturatum; imaginem extrahit, eamque unà cum aliis noſtrorum, è Societate divorum pictis iconibus, ægrotæ oculis exhibet. Ad earum conſpectû, torporem paulisper & capitis gravedinem excutit, atque in imaginem B. Regis, manum intendens; hic ille eſt, inquit, qui mihi videndum ſe præbuit; ille priſtinæ valetudinis recipiendæ ſpem mihi certiſſimam fecit. Vulgatur illico tota domo, totâque urbe cœleſtis viſio, prædictioque; & cupidiſſime expectatur decretoria nox, quæ fœminæ dictis vel afferat, vel detrahat fidem.

Sub veſperum tamen, recrudeſcere mor- XVIII.
bum, vires imminui, augeri dolores ca-
pitis, nec aliud remedium occurrere quá,
ut cranio perforato, vitioſus humor ex-
hauria-

hauriatur; cui ſane cruciamento, animi & corporis robur longè impar eſſe conſtabat. Itaque eâ nocte, plus in adornando funere, quàm in adhibendis remediis laboratum: At ecce, ſub mediam noctem, duæ è ſacris Virginibus, quæ vigilias de more agebant, ſubito exclamantem audiunt, DEUS mi! DEUS mi! Dumque illæ celeriter accurrunt, proh! quantum, inquit ægra, mihi B. REGIS ſenſum doloris incuſſit. Simul toto tremebat corpore; manabat è membris omnibus ſudor; cor ita mobiliter palpitabat, ut lecti ſtromata, ſtragulaſque attolleret. Moniales, alijque qui aderant, lethalia rati ſigna, ad vitæ exitum pijs ſermonibus roborabant. Et illa, quid me, inquit, morituram, quid depoſitam conclamatis? En ſalva ſum, ac prorſus incolumis. Videtur mihi concretus in cerebro ſanguis, naribus auribuſque diffluere. Cùm nihil hujuſmodi appareret, minùs compotem mentis, ac delirantem exiſtimabant. Salva ſum, pergit, beneficio B. REGIS: morbum ille, mortemque depulit. Rogata ut curationis modùm ediſſerat, ubi paululum jactatio reſedit, dolores, inquit, caput vehementiùs ſolito cruciabant, cùm iterum

adeſſe

adesse visus est Religiosus Sacerdos, serenâ fronte, colore albo, naso ablongo, oculis humi demissis, capillo nigrum inter & flavum.

Dum ego cupidissimè hominem contemplarer, mactè ait, convaluisti; vitam, salutemque istam precibus meis DEUS indulsit. Tum in genua provolutus, crucem, quam manu gerebat, capiti reverenter admovit; cujus contactus acerrimum effecit doloris morsum, qui vocem istam, & quam audistis, querelam elicuit. Hæc effata conticuit: paulòque post, arctissimo correpta somno, noctem reliquam placidè ac tranquillè peregit. Manè ubi diluxit, magnus ad eam domesticorum, civiliumque ex toto oppido concursus est factus. Mirabantur fœminam, quæ ante paucas horas, sacro morientium oleo delibuta, sensûs penè ac rationis expers, lethalibus commotionibus jactata, in singulas horas, è vivis migratura videbatur, sanam repentè ac vegetam; nulloque Medicorum auxilio, saluti pristinæ restitutam. Admirationem auxit, quòd alterâ die nullo adstantium adminiculo, ad Xenodochij sacellum pedibus ipsa perrexerit, Christi Domini corpus

perceptura; & ſequentibus diebus ad cætera oppidi Templa, Patroni optimi ſingulare beneficium, publico paſſim privatoque præconio celebrans.

XIX. At ne iſta longiùs, ex Americæ finibus accerſita videantur, unum appono, Romæ, in clariſſima Orbis Chriſtiani luce, viſum & celebratum.

*Hydropiſis.* 13. Laborabat hydropiſi, in domo Profeſſa Romana P. Joannes Andreas Serra, Procurator Generalis Societatis; cùmque per morbi accerbitatem, lecto recumbere, non liceret, ſellæ ac pulvino innixus, dies quadraginta, totidemque noctes, præter nonnulla quietis intervalla, fere traduxit inſomnes. Aquoſo interim languore, crura, ventrem, ſtomachum, & pectus ſubeunte, medici diſertè pronuntiant, ſpē ſalutis affulgere nullam; ac nihil ſupereſſe aliud quàm ut ſe, Religioſo more, ad vitæ exitum compararet. Hàc periculi denuntiatione permoti qui valetudinario præerant, cœleſtis panis Viaticum, in craſtinam lucem, indicunt. Æger, cum de ſe actū intelligeret, Patrem Petrum Calvo vocari jubet, qui plures jam annos, Gallicæ Aſſiſtentiæ negotia, Romæ, cum laude procurat. Qui ubi adfuit, noſti, inquit, pater

Pater optime, de meâ valetudine desperatum á Medicis unumque mihi, in Dei ope, & salutari manu, reliquum esse perfugium. Audio esse penes te, nonnullas Beati REGIS Reliquias; has ad me quã primùm afferas velim; erunt mihi omnis pharmaci locò; & spes est, Beato viro apud DEUM Patrono, ac deprecatore, me valetudinem pristinam recepturum.

Nec mora, delatam ad se Reliquiariã thecam svavissimè exosculatur; pectori imponit, & capiti; haurit tantillùm pulveris è sepulchri glebâ; speque & expectatione plenus quieti se tradit. Ecce autem, sub mediam noctem, tanta urinæ copia cœpit erumpere, ut æger posterâ luce, advenientibus Medicis, omni prorsus abesse periculo, videretur. Cúmque fluxus hujusmodi deinceps perseveraret, diffluere sensim aquam intercutem; detumescere pectus & crura; totumque corpus sic exsiccari, ut, post tertium diem, nullum planè hydropisis vestigium remaneret. Rei gestæ fidem faciunt testes non pauci adhuc superstites, qui, per id tempus, in domo professa Romana degebant. Testatur idipsum picta tabella B. Regis, quam æger, ubi convaluit, ad limen cubiculi Procura-

toris generalis, velut perpetuum accepti beneficii monumentum, appendit.

XX. 14. *Morbus quadriennalis.* At ecce, dum hæc Tolosæ typis eduntur, Albiæ, viciná in urbe, Deus famuli sui nomen, recenti miraculo, illustravit. Hic anno millesimo sexcentesimo octogesimo octavo, die Martij vigesima quintâ, Maria Davasse nupta Francisco Vene, legum Doctori, variis morbis tentari cæpit, qui per quatuor annos integros, in longam seriem excrevêre. Primò enim, ex raucedine subitâ, vox prorsus obtunditur; mox caput gravissimo stupore urgetur; humeri morsu doloris accerrimo fodiuntur; pectus, calescente sangvine, vehementiùs æstuat. Accessit, tertio pòst mense, motus & agitatio cordis celerrimè palpitantis; tantáque, rarescentibus supra modum pulmonibus, compressio pectoris, vix ut anhelitum duceret.

Eâ multiplicis morbi acerbitate, totum jam biennium cruciabatur, cùm lenta priùs assiduáque febricula ingravescit; tantumque subit ciborum fastidium, ut, præter exiguos jusculi haustus, reliqua prorsus alimenta respueret. Sexto abhinc mẽse, ntumescere sensim ex aqua intercute visa est; simulque exsucco in stomacho ea

sitis

sitis accensa, quam terna, diebus singulis, etiam grandia aquæ pocula non explerent. Neque hic dolorum cumulus. Rigent tibiæ, aliquauto post, fœdo livore decoloratæ, humerique repentè attolluntur in gibbum.

Prohibebat gravis ille, molestusque membrorum situs, agitatio cordis, & pectoris ægrè spiritum ducentis angustiæ, ne lecto, interdiù noctuque, recumberet. Quamobrem comparanda ægrotæ fuit nova sellæ forma; ubi sinistro inixa lateri, quiescebat quidem, at vix unquam dormiebat: aut si quando fessos artus levis sopor occuparet, diris insomniis, ipsâ vigiliâ molestioribus, terrebatur. Tot calamitatum concursu, per tres ferè annos, debilitata, crebra animi deliquia patiebatur, è quibus vix posset post unam horam, sive odoribus ac suffimentis, sivè instillatis liquoribus excitari.

Has inter ærumnas, vitam ægerimè trahebat, cùm anno superiori, sub Decembris initium, longiori deliquio correpta, ac penè exanimata, sibi visa est metam ætatis ultimam attigisse. Ubi ad se rediit, Sacerdotem è Societate, qui tum ipsi á confessionibus erat, acciri jubet. Ille, cùm de

vita desperantem videret; Audio, inquit, filia tibi venisse mentem, Deo votum aliquod, adhibito B. Regis nomine, nuncupare. Ita planè decreveram, subiicit illa; sed rem, seu mea incuria, seu morbi acerbitas hactenùs distulit, non disturbavit. Velim, Pater, ut novena pro me sacra voveas, idoneo quamprimùm tempore, facienda. Dicta est dies divinis Mysteriis, post solennem Christi Natalem, Ianuarii tertia; quà ægrotæ, intra cubibulum explicare crura primùm licuit; simul pristinus voci sonus redditus est; cordis palpitatio quieuit. Die mensis sexta. nullo planè adminiculo, quod per annos duos non contigerat, pedibus liberè ingredi cœpit. Demum cosequentibus diebus, ante absolutas preces novendiales, depressus humeroum tumor; restinctus febris ac viscerum æstus, compressio pectoris laxata; levatus capitis dolor; animi ac cordis deliquia sedata; omnesque tot morborum reliquiæ sic exhaustæ, ut nullum eorum vestigium superesset.

Rei, ad Beati viri commendationem, insignis, téstis est civitas Albiensis universa; quæ cum fœminã, per annos quatuor domi abditam ac multiplici morbo vexatam viderit, jam á tribus mensibus, sanam ac vegetam

vegetam; supplicantem in Templis; in urbe inambulantem; strenuam rei familiari operam; domi forisque, navantem, miraculo attonita, obstupescit. Quæ omnia dum ea in urbe, Ecclesiastica autoritate, publicis tabulis consignatur, quamquam ad me communi fama, & multorum sermone dilata; eadem tamen fæminæ maritus, ejusdemque Confessarius an bo viri graves ac sapientes, manu sua, singuli syncerissime perscripsere.

Atque hic ego adesse velim omnes eos, qui Ecclesiæ Catholicæ miraculis adversantur; & hæc secum æqua mente reputare. Nisi miraculum istud exploratissimum esset, mihique omni fide constaret; demens planê fuerim, qui illud, eo maximè tempore vulgarem, quo ejus falsitas, ab innumeris testibus, vivis ac superstitibns, redargui posset. Nam, ea ratione, & nomini meo, fraudis ac mendacii labem aspergerem, & Beati viri, quem commendandum celebradumque suscepi, virtutem, laudesque detererem; Catholicæ Religioni injuriam facerem, cujus dignitatem ac ritus, commentis, fictisque fabulis stabilirem.

Insurgerent siquidem inclytæ Urbis cives ad unum omnes, inprimis Illustrissimus

Archiepiſcopus, ſapientiſſimi Vicarij Generales, omniſque ſacer & civilis Magiſtratus ac protinus exclamarent, ô impudentiam ſingularem! ô ſcriptoris hujus luculentum & inſigne mendacium! En quibus figmentis Jeſuitæ OrbiChriſtiano fucum faciant? En quibus artibus, cœleſtes ſuis hominibus honores, & ſanctitatis concilient famam? Et ſimul mihi mendacii ac violatæ Religionis crimen intenderent. Quam ſanè reprehenſionem cum minime metuã, maximo argumento ſit, rem eſſe notiſſimam, ac probè teſtatam.

XX. Demum, ut res illas á Deo Optimo
15 Maximo, in gratiam famuli ſui mirabili-
*Surditas* ter patratas, domeſtico teſtimonio conclu-
* dam; addo aſſertionem viri ſapientis, * in
*P. Ant.* hac Domo Profeſſa Toloſana, ubi huic
*Depeyre* meo operi extremam manum impono, mecum, hoc ipſo tempore, commorantis. Docebat ille Theologiam, in Collegio Turnonenſi, anno hujus ſæculi ſeptuageſimo, ſecum, cùm, inter cæteros auditores, ad eum acceſſit P. Caſimirus Defoſſe, è Franciſcana Conventualium familia; rogavitque, ut ſedem opportunam, & docentis pulpito proximam aſſignaret ſibi, qui aurem dextram hebetiorem, ac planè obtu

ſam

ſam haberet. Itaque in loco ad audiendum aptiſſimo collocatus, vix tamen, nec ſinè multo labore, prælectiones aſſequebatur; quod ſumma, per annos duos, audientis & arrigentis ſe, contentio indicabat. Obſervatum quoque hoc aurium vitium: tum à diſcipulis aliis, in ſchola; tum domi, à Religioſis ſodalibus, in familiari congreſſu; donec tandem venit in mentem, Cæleſtem B. Regis opem, ad ſuæ illius ægritudinis ſolatium, adhibere.

Et commodè, feliciterque contigit, circa Pentecoſtes ſolennia, anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſeptuageſimo quarto, Theologiæ Profeſſorem, alioſque è Collegio Sacerdotes Laloveſcum excurrere, ut Sacramenta, per eos dies, peregrinis, & advenis miniſtrarent.

Adfuit unà cum aliis Caſimirus, & expiatis apud eundem profeſſorem ſuum, confeſſione noxis, ad aram Beatæ Virginis tumulo Beati impoſitam, rem divinam peregit. Sub divina myſterià, in genua provolutus, laboranti auriculæ collectum e ſepulchro pulverem affricat. Quod cùm ſæpius iteraſſet, ſenſit ſubitò integram ſibi audiendi facultatem Dei beneficio, reſtitutam. Advolat illicò ad Magiſtrum XIII.

in

in Pœnitentiæ ſubſellio conſidentem; eumque & circumfuſam omnem multitudinem rogat, rē ipſimet experiantur. Obturat, obſtruitque diligenter ſiniſtram aurem: inclamant illi, inſuſurrant; & planè comperiunt, dexteræ perinde ac ſiniſtræ, acutiſſimum audiendi ſenſum ineſſe. Voti compos in cœnobium redit, nec ita multò poſt, in tanti beneficii memoriam, pannum oloſericum & elegantem dono mittit, ad frontem aræ maximæ veſtiendam. Hæc, teſtis quem dixi, fide digniſſimus, ſuis & auribus & oculis uſurpata, ſcribenti mihi iuratus affirmat.

Recenſentur alia plura miracula, quæ cùm ſint vel ejuſdem generis, vel jam antè vulgata, conſultò, prætereo. Ad probandam Dei famuli ſanctitatem iſta ſufficiant.

Liceat enim inſtitutam olim ab Auguſtino, de primis Eccleſiæ Chriſtianæ miraculis, argumentationem, ad noſtra hæc Miracula, totidē ferè verbis, transferre. Vel Miracula quæ hîc à me, aut ab aliis ſcriptoribus, in gratiam Beati viri, à DEO patrata memorantur, ficta omnia & commentitia ſunt; vel ſaltèm unū aliquod verum ac ſyncerum fuiſſe conceditur? Ea certè tam illuſtribus locorum, & temporū notis conſignata, nemo dixerit falſa omnia, & ſuppoſita fuiſſe; omneſque & ſingulos teſtes, quos, adduximus, viros planè graviſſimos, aut deceptos ipſos, aut alios decepiſſe. Si vel unum ex iſtis ſingulare miraculum verum, certóque comperum ſit, ex eo pro rius efficitur, hujus hominis ſanctitatem, DEI ipſius Miraculorum authoris, teſtimonio comprobari.

*FINIS.*